



3112


80


Ma 17

Aug. 10

Sc. Graec. N. 123

II. 2. a. 22.





020 2




Æ S O P I
P H R Y G I S, E T
A L I O R V M

F A B V L Æ,
*Iconibus illustratæ & labinius
quàm antehac interpretatæ.*



C O L O N I Æ,
Apud hæredes Arnoldi

Birckmanni.
A N N O M . D . L X X I I I .



Universitäts- und Landesbibliothek
Halle
(Saale)

L 571




DE VITA ET MORIBVS
FORTVNAQVE ET INTE-
RITV AESOPI.



AESOPVM fabellarum illarū mi-
rificum artificem, in Phrygiæ, eius
quæ magna dicitur, vrbe Ammorio
natum esse inuenio. Neque tamen
desunt, qui Thracem Mesembrianū
fuisse perhibeant. Neque item alij qui Samium.
Sanè inter plerosque constat, hunc vixisse poti-
ente rerum in Lydia Cræso, & seruitutem ser-
uissse Xantho cuiusdam Samio. Eum Herodotus
ἐν τῷ πρῶτῳ seruum fuisse Iadmonis Samij, qui eo-
dem tempore ancillā habuerit Rhodopin, hoc
argumento colligit: Cum enim, inquit, Delphi-
cū oraculū iussisset Aesopo pœnas pendi, nemo
inuētus est, qui has illius nomine expetere vel-
let, præter vnum Samium ciuem, nepotem Iad-
monis, auo cognominem. Sane & vtrique horū
seruire Aesopus, & veritas prisca rei perturbari
potuit. Verum cum proposuerim de vita & mo-
ribus Aesopi narrationem texere, cōquirens ea
quæ à veteribus tradita essent, sequar id quod
est maxime receptum, venissse in Samo Aesopū
Xantho Philosopho, qui tandem inuitus liber-
tate illum donauerit, permotus ac potius coa-
ctus flagitatione & clamore populi Samij.

Aesopum igitur conditione seruū fuisse com-
perio, & corpore valde deformi ac fœdo, colore
atro, vnde & nomen illi inditum videtur. Nam



Aesopus, & qui propter oris nigri quasi fuliginem, Aethiops dicitur, idem significant. Præterea acuto capite, collo breuissimo, labijs dependentibus, denique ea turpitudine, quæ humana figuræ maxima depingi posset. Contrà verò, nemo vnquam sensuum subtilitate & ingenij acrimonia maiore præditus fuisse perhibetur. Itaque corporis tam indigesta moles mentis speciosissima sedes fuit. Quod quidem ipsum, etsi rarò, nõ tamen nunquam animaduersum est, docuitque mortales, nõ esse de externa rerum specie summam bonitatis æstimandam. Sanè verum est, ferè animi generosi eximium decus sese proferre & explicare solere, inque corporis venustate elucescere. Cæterùm, interdum hoc à natura non fuisse obseruatum compertum est: Neque pauci magni & clari viri, oris & membrorum elegantia caruisse traduntur, veluti Philopœmen Imperator Achæorum, qui eo nomine irrisus à Flaminio fertur. Idemque cum aliquando ab hospitis vxore appellatus pro Imperatoris ministro, rogatusque esset vt sese in apparâdis rebus necessarijs adiutaret, arrepta securi ligna findere cœpit. Superueniente autem hospite & pudore ac dolore confuso, iussit illũ bono esse animo Philopœmen, se enim pro oris deformitate toto corpore pœnas luere. Similiter Socrates aspectu minime amabili & digno animi sui præstantia scribitur fuisse. Itemque diu post Epictetus Philosophus, quod ipsum epigramma etiã testatur: Seruus Epictetus vitiato corpore fœdus,
Alter inops Irus carus eram superis.

Idque

Æ S O P I.

5

Idque ab Homero quoque his versibus confirmatur: *ὁδυσ. θ.*

Di bona non vni dant omnia, formā, animumque
 Verborumque sonum placidum & sapiētia dicta.
 Namque aliquis facie est, pulcro, neque preedit ore,
 At formam deus exornat sermone venusto,
 Totaque in hunc oculos intendit concio, quando
 Sana verecundo profert è pectore dicta,
 Demulcēs animos populi que per agmina regnās.
 Illum incedentem ceu Numinis ora tuentur.
 Contra est qui specie diuis non cedit, at illi
 Gratia sermonis concessa est nulla diserti.

Diodorus Siculus quoque libro XIII. Gelliam quendam Agrigētinum fuisse narrat specie corporis futilem atque contemnendam, sed cum ingenio præstantem, tum honestatis virtutisque laude ornatissimum, quam Græci καλοκαγαθία nominant. Quæ quidem ipsa huic de Aesopo historiae planè conueniunt. Vtrum verò ille & balbutierit aliquando, & tantum non mutus, & diuino beneficio orationis copiam consecutus fuerit, de eo vt quisque volet existimet. Ego cur verum esse credere debeam, non video. Quare quæ de hoc traduntur prætermittam, & quomodo in Samum peruenerit, quibusque factis ac dictis adhuc seruus famæ celebritatem, & postmodò libertus populi Samij, laudem & gloriam promeruerit, deinceps exponam.

Fortè accidit, vt Aesopus cum alijs aliquot mancipijs Ephesum ad mercatum mittendus esset. Cum autem, quæ illuc deferri dominus iusserat, ea serui inter se partirentur, & quisque

Δ 8

oncri

oneri suo ferūdo, ita vt fit, accingeret, vehemen-
 ter Aesopus orauit, vt sibi & non valido & noui-
 tio homini parcere, & aliquid cui portando suf-
 ficeret, imponere vellent: Quem intuiti omnes,
 & fortasse miserati quoq; fecere potestatem illi,
 deligeret quod ipsi minime graue futurum sibi
 crederet. Tum ille omnia diligenter oculis per-
 lustrans & manibus tentans, vbi vidit in medio
 collocatam sportam ingentem cum panibus,
 quamq; alij duo ferre deberent, petijt eam sibi
 relinquere. Quo facile impetrato, cum omnium ri-
 su, qui quidem illum desipere dicitarent, vltro
 deposcentem quod grauissimum esset, cum an-
 te laborem tantopere fuisset deprecatus, sic tum
 iter ingressi sunt. Iam diei dimidium abierat, &
 acquiescentibus omnibus, iubetur Aesopus me-
 ridiantibus cibum distribuere. Quo facto mox
 in via ponderis vna parte semiuacua in corbe
 minus gestabat. Itaque & multo quam prius am-
 bulabat expeditius. Postero vero die, cum quod
 reliquum fuerat cibi, similiter esurientibus im-
 pendisset, ipse inanem corbem assumens, longo
 post se alios intervallo relinquebat. Ita demum
 intellexere, & sese immerito illum derisisse, &
 illum certa spe diuturnioris commoditatis, ma-
 iorem sed breuem molestiam capere voluisse.
 Atque inde natum prouerbum fuit *ἁλιωπέλιον*
φόρτου de ijs, qui ingeniose ipsi sese leuarēt, vel
 corporis onere vel molestia animi. Cum autem
 mercatus iam abiisset, alijs rebus satis bene di-
 stractis, mansere reliqui duo pueri mercatori, q̄
 Ephesi emptorem reperire nullum potuerant.

Horum

Horum vnus carminum, alter dicēdi peritus de-
 bebat esse, cumque illis Aesopum vnā trahebat:
 Itaque statuit in Samum trajicere, quo ventum
 fuit, in forum rerum venalium mancipia pro
 sua vtrunque professione exornatum cōstituit,
 interque hæc, quod multi tum reprehenderunt,
 medium Aesopum: Sed mercator astute volue-
 rat formosos per se pueros, hac contraria turpi-
 tudine speciosiores reddere. His ita ordinatis,
 aduenere cum alij Samij, tum cuius in ea insu-
 la celebre nomen ob sapientiæ studiū erat Xan-
 thus, cum aliquot discipuli ipsius comitabātur.
 Qui pulchritudine puerorum allectus accessit
 propius, & cantorem cœpit percunctari, quid p-
 fiteretur. Cui ille, facere quodcumq; ei collibu-
 isset. Quo dicto, immoderate Aesopus risit. Tum
 Xanthus & alterum de professione ipsius inter-
 rogans, similem responsionem audiuit. At Aeso-
 pus quàm ante aliquantò effusius risit. Discipuli
 qui illud animaduertent, misere, qui causam
 cachinnorum sciscitarentur, quos Aesopus cum
 conuicijs repulit, expectans dum à magistro de
 ea re compellaretur. Xantho autem licitare, cum
 puerorum vnus denarijs ter centum, alter ducē-
 tis indicaretur, deterritus ille precij magnitudi-
 ne retrò abiit tanquam discessurus. At discipuli
 cœpere orare illum, ne prius abscederet, quàm
 deformem etiam istum compellasset. Xanthus
 magis ioci & risus gratia, quàm quod tanti illū
 putaret, morem his gessit. Et ita vt antè fecerat,
 Aesopum interrogauit quam artem factitaret:
 Cui ille respondit: Prorsus nullam. Cumque in-

staret Xanthus, & causam sciscitaretur: Quia enim, inquit Aesopus, isti sodales mei, facturos se omnia professi, non reliquere alijs quid facere possent: Tum animadvertere discipuli, hanc paulo antè risus illi causam fuisse, & Xanthus non parum festiuitate hominis delectatus: Quid, inquit, si te forte emero, bonus esse voles? Respondit Aesopus: Etiam si non emeris: Tum Xanthus: Commissurus ne es ut aufugere tētes? Tum Aesopus: Vidisti tu vnquam auiculam, inquit, quæ fortè nacta rimulam per quam è cauea exire posset, consuleret dominum de fuga? His auditis comprobauit quidem ingenij illius acrimoniam & promptam vim Xanthus, sed corporis deformitatem dixit vix laturam hominum consuetudinem. Ibi Aesopus non nihil commotus: Philosophæ, inquit, mentem intuere. Non enim cum vinum tibi placuit, dolij maculis aut lituris offenderis. Xanthus iam non festiuitatem huius, sed sapientiam admiratus emere statuit, & precium sciscitatus, hunc sibi placere dixit. Tum Mercator: Quid, inquit, sterquilinio isto tibi empto opus est, vtrum vis horum adolescētum mercare, & hūc quasi cumulum adijciam, ut accedat mercimonio hoc portentum veluti cumulus? Xanthus respondit istum sibi placere: Proinde si venundare cupiat, ne moretur indicare. Quid igitur? inquit Mercator: Si hoc certum tibi est, numera sanè sestertios quadraginta. Xanthus precio perfoluto Aesopum se sequi iussit. Cumque peruenisset cum mancipio domum, non ignarus morum ingenijque vxoris suæ, facere

Æ S O P Y.

ere voluit, vt illius criminationes anteuorte-
ret, néue de improuiso illi tam deformem faciē
ante oculos adduceret. Itaque ablandiens illi
memorare cœpit, tandem emisse se, quod diu ro-
gatus esset, seruulum, quo vti cum vellet, posset.
Cui illa: Sanè bene abs te factum est, cum erga
me tam munificum te præbuisi, Sed quanti, in-
quit, mercatus es? Precio, inquit ille, nō magno.
Quin igitur, inquit illa, produci in conspectum
iubes? Tum ille: Adhuc de itinere fœ diusculus
apparet, sed accersat aliquis, inquit, nouitium
seruum. At illa, vt res erat, circumueniri
se verbis & tegi mercimonij turpitudinem rata:
Profectò, inquit, monstri aliquid affers, nam val-
de mirandum sit, si tu tantæ curæ me tibi esse pa-
tiare, vt acceptis seruitijs mihi gratificare. Cui
Xanthus: Vxor, inquit, quod mihi probatur, æ-
quum est non displicere tibi, si mulierem vis te
perhiberi probam. Inter hos sermones prope ac-
cesserat Aesopus, quem contuita mulier, auer-
sum ab illo in virum plenum iræ & indignatio-
nis vultum contorquens: Hæc, inquit, sunt odij
erga me tui & contemptus manifesta indicia: ne-
que enim vsquam gentium vnquam tetriorem
humana specie beluam extitisse credo. Quid tu,
inquit Xanthus, verberò, dudum ita loquax, nūc
tam obstinate taces, ac non potius aliquo bello
dicto placas heram? Tum Aesopus paulisper cun-
ctatus, græcum versiculum pronuntiauit, in quo
tres pestes rerum humanarum dicuntur esse, ma-
re, flāma, mulier: θάλασσα, καὶ πῦρ, καὶ γυνή καὶ
ἡσυχία. Quo audito illa quasi parum ante irata
fuisse,

A 5

fuisse,

fuiſſet, iam accenſa furere: Ipſe etiam Xanthus præ ſe aliquam animi ob dictum commotionē ferre. Quare Aefopus, ne contumelioſe locutus putaretur, ita cœpit quod dixerat corrigere, vt de malis interpretaretur, & verſus proferret Euripideos, quorum hæc ſententia eſſet:

Infana rabies eſt vndabundi freti
 Viſ fluctuumq; noxia, formidabilis
 Flammæ furor, metuenda res eſt inopia,
 Suntq; horribilia per terras plurima alia:
 Sed nihil ita horribile eſt vti mulier mala.

Proinde mea, inquit, hera, caue è poteſtate exeaſ, ac potius effice manſuetudine, vt inter bonas & laudatas feminas numereris. Quo audito cum pudor illam ad moderationem quandam redigeret, inruens Aefopum profiteri cœpit, de illius verbis cognoſcere, neutiquam homini mentem ingeniumq; deeſſe, ſeq; illum non reſpue-
 re. Ita ille ſeruitutem Sami philoſopho quem ſæpe nominauimus, ſeruiēbat, cum illi eſſet à mandatis & pedibus & nuntijs & aduerſationibus, poſtremo etiam, vt hiſtoria fingit Atrienſis, coquus, obſonator, & vnus obiret omnia ſeruo-
 rum munia.

Accidit autem aliquando, vt prodeambulatu-
 rus extra urbem ad mercatum olerum Xanthus, ſequi ſe Aefopum iuberet, cumq; olitor habitū Philoſophi conſpexiſſet, magnopere illum orare cœpit, vt certam dubitationem qua valde agitaretur ſibi eximeret. Se enim non ſatis mirari, neque decernere poſſe quī fieret, vt quæ her-
 bæ ſua ſponte è terra naſcerentur, tam facilia &
 ingen-

ingentia incrementa facerent, cum quæ magno studio & labore infertæ, ut fatæ essent, sæpenu-
merò ne pullularent quidem neque erumpe-
rent, sed in ipso ortu intermorerentur, aut si ma-
ximè adoleuissent, tamen nullo modo aliarum
progressus assequerentur. Xanthus cum non in-
ueniret, quo modo quæstionem olitoris explica-
ret, ita diuinitus fieri respondit, Quo dicto in cla-
ros cachinnos erumpit Aesopus, ita ut intellige-
ret Xanthus se irrideri. Ac commotus, quid rides,
inquit, mastigia? Cui paululum seducto Aeso-
pus, magistrum ait tuum derideo, à quo huiusmo-
di es responsiones edoctus. Quis enim nescit? o-
mnia quæ quidem in hoc mundo fiunt, ea fieri
diuinitus, sed horum exquisitas causas philoso-
phia in medium profert hominibus. Nunc igitur
me producito, simul ut quæ olitor requirit
cognoscat, & non possit te ut indoctum vulgo cri-
minari. Xanthus ad olitorem respiciens: Si in-
quit aues harum rerum explicatiorem causam
noscere, licet è puero meo scisciteris: nam ego
præ alijs magnis considerationibus huiusmodi
nugis vacare nequeo. Me miserum, inquit olitor,
si iste litteratus est, quibus studijs me in ætate oc-
cupauit? Sed heus tu, quid causæ horum dices quæ
meam dubitationem dissoluat? Cui Aesopus:
Nunquam compertum est, respondit, nouercam
ea sedulitate fouere priuignos, qua matrem li-
beros complecti videmus. Terram autem cer-
tum est esse spontè nascentium quasi parentem,
infitorum autem nouercam. Quare illa ut
mater alit ac vegetat, hæc ut nouerca multò
segnius

segnius curat, ac potius quod ab his auertere ad illa potest, id studiose facit. Tum olitor: Profecto magna me liberaſti dubitatione, inquit: Ob quod, vt gratum eſſe me intelligas, quoties uolueris hinc quantum lubebit olerum ſumas licebit. Hoc loco ſciens prætereo, quæ à Planude recentur, nempe illas nimium nihili fabellas de lenticula & balneo, itemque de pedibus ſuillis, & beneuola, aliquot etiam triuiales in cõuiuiocaciones, quòd non ſcitè hæc conficta eſſe uideantur. Neque enim magnopere eſt exquirendum, quid huiusmodi in narrationibus omnino uerum, ſed quid aptum & facetum, & ad utilitatem etiam aliquam audientium cõpoſitum ſit. Nunc igitur deinceps duas fabellas memorabo, vnã de reuocatione heræ, quæ à viro diſceſſiſſet, confictam ſecundum Græcam hiftoriam, quam Pauſanias exponit in Bœotix deſcriptione, alteram de emptione linguarum, deſumptã ex Biantis factò, quod Plutarchus recenſet in conuiuiò ſeptem ſapientum.

Erat Xanthi vxor nobilis, & quæ multum dotis viro attulerat, qua freta & generis factione ſuperbiens, magis ipſa viro moderabatur, quàm illius imperio ſubiiciebatur. Quare & procaciter facere multa, & ſumptuoſa eſſe, & offendi facile, vt eſt iſtarum mulierũ mos, & viro reſponſare, & iurgari, denique ſiquando eſſet commotior, minari diſceſſionem conſueuerat. Accidit igitur, vt tot contumeliarum impatiẽs Xanthus, aliquando acciperet eam haberetq; duriuſculè, ſperans ſua ſeueritate illius petulantiam fractum iri: ſed
quod

quod ipse profuturum sperauerat, in damnum
couertit. Obiurgata enim acrius vxor, quod sæpè
in leuioribus diſſidijs minata fuerat, fecit vt à
viro diſcederet. Xāthus quamuis improbam fœ-
minam, vxorem amabat, & illius criminationes
metuebat, veniebatque adeo de dote in pericu-
lum. Mittere igitur quotidie, qui accerſerent,
blandiri que per interpretes illi: verum vbi eam
non moueri intelligit, valde grauitè caſum il-
lum ferre cœpit. Quo animaduèrſo Aefopus, ra-
tione de mulieris reuocatione inita, ad herum
adit, iubet bono eſſe animo, effecturum ſe vt vl-
tro redeat hera. Et pecunia accepta ad forū abit,
diſtitans ſe quærere venales res neceſſarias nu-
ptijs, de quibus non in macello ſolum perconta-
tur, ſed ad ædes etiam, cum alias, tum vbi heræ
parentes habitabant, diſſimulans ſibi notas eſ-
ſe, accedens, petebat mercatum auicularum, pi-
ſcium, & aliarum cupediarum. Erat Aefopus nō
ſolum ea in domo familiæ, ſed fere in toto vrbe
notus omnibus. Et quia ſeruire cum marito he-
rilis filiæ ſciebant, ſciſcitari diligentius, cui reſ
obſonaret tam laute: Aefopus, pro eo ac confi-
lium ceperat, reſpondit callidè: Duxiſſe vxorem
herum ſuum, poſteaquam prior diſceſſerit, neq;
vllis precibus aut blanditijs retrahi potuerit, &
inuiſſe multos mortales, quos cupiat opiparè
paſcere in conuiuio nuptiali, eam ob rem ſe con-
quirere quicquid gulæ gratum adipiſci queat, &
nulli precio parcere iuſſum eſſe. Hoc audito an-
cillæ, alia aliam præuertit ſtudent, ad herilem fi-
liam curſitant, exponunt quæ ex Aefopo audie-
rant.

rant, augentq; dicta, ita vt fieri solet, muliebri lo-
 quacitate & peruerso studio exaggerantes rei in-
 dignitatem. Tum illa, vt impotens animi mulier
 erat, mutata subito mente, curriculo ad virum
 regreditur, ignarum horum omnium: Cui cum
 multa & graua conuicia fecisset, & animum ex-
 onerasset indignatione sua aliquantulum: Non
 ita, inquit, tibi felices erunt Di, Xanthe, vt me
 viua alia vxore potiri concedatur. Xanthus re co-
 gnita mirari calliditatem Aesopi, & reconcilia-
 re sibi obsequio iratam vxorem. Atque ita rebus
 compositis post non multos dies, cum studiosos
 aliquot sapientiae homines iuuitasset ad cenam
 Xanthus, mittit obsonatum ad forum Aesopum,
 ei que imperat, vt emat quod quidem sit opti-
 mum & bellissimum. Aesopus nactus occasio-
 nem explicandi ingenij sui, ad astutas elusiones
 idonei, cogitare, secum coepit ostensurum se he-
 ro quid sit rem mandare imprudenter, & abiens
 nihil praeter linguas bouillas in cibum parauit.
 Cum iam vocati ad cenam conuiuiae accubuis-
 sent, mensa posita, iubet afferri dapes Xanthus,
 ratus instructa omnia esse magnifice. Tum Aeso-
 pus assulas linguas singulas binis, vt accubuerat,
 apponit. Laudantibus conuiujs exordium vt co-
 ueniens philosophicae cenae, quod lingua sapien-
 tia esset interpres, petit Xanthus aliud epula-
 rum genus. At Aesopus elixas apportat linguas.
 Tum ille aliud postulat: At hic frixas, cumque po-
 stularet aliud ille, hic cum iusculo conditas lin-
 guas fert, denique omnia erant linguarum fer-
 cula. Ibi vehementer iratus Xanthus, verbero
 in-

inquit: Quid sibi volunt linguæ per omnia? An mandata hæc mea fuere, ac non potius vt para- res quod quidem esset optimum & bellissimū? Cui nihil exterritus Aesopus: Lætor inquit, ac- cusari me præsentibus tot doctrina & eruditio- ne claris viris, quos ego iudices facio facti mei & mandata rei executionis. Quid enim linguæ bonitati conferendum est? Quæ sola animi op- tima inuenta in lucem producit, vnde, quidquid vsquam in rebus humanis bene est constitutum, extitit & conseruatur. Et quid opus est multis verbis audiente hoc cœtu? Aut cui ignota est hæc Hesiodi sententia? qua etiam tacentis lin- guæ thesaurus optimus esse dicatur, cum in- quit:

Non alia est melior res q̄ custodia linguæ,
Gratia quâ decorat moderatæ summa loquelæ.

Quid faceret Xanthus, maximè cum videret conuiuas Aesopo assentiri: Ergo, inquit, in cra- stinum voco vos denuò. Nam cupio vobis ali- quid escæ dare præter linguas. Tu verò ostenta- tor sapientiæ, abi & in crastinam cenam para, qd̄ quidem erit pessimum & deterrimum. Postero die redeunt conuiuæ, & Aesopus ita vt eius di- ci pridie, epulas vniuersas linguis instruit. Tum Xanthus: Scelus, inquit, iamne linguæ pessimæ factæ sunt & deterrimæ, quæ heri tibi erant op- timæ & bellissimæ? Cui Aesopus: Here, respon- dit, planum facere possim, omnia quæ in ho- minum vita malè & sceleratè fiunt, cædes, pro- ditiones, iniustam vim, fraudes nefarias, & quidquid est malorum facinorum, id totum,
stru

strui linguæ ministerio, cum mala prius & confilia ineatur & sermone communicentur, quàm ad factum accedatur. Quid autem ego aliud debeo sentire, quàm quod consensus multorum seculorum prouerbio extulit:

Lingua quónam pergis? urbem vt condam, & urbem vt eruam.

Ciebant hæc bilem Xantho, & quia arbitrabatur illudere sibi Aesopum, ingentem indignationem aduersus illum animo concepit. Ibi ubi vnus è conuiuis: Hic inquit, ad insaniam aliquem facile adegerit. Quo dicto cum sentiret Aesopus Xanthum contra se instigari: Oportet tibi, inquit, à rebus tuis profundum esse ocium, qui alienas cures, herumq; irrites, inq; seruū extimules. At Xanthus, arrepto per occasionem dicto, quærebat enim causam, quam suæ iræ prætexeret, si affecisset verberibus Aesopum: Quia tibi, inquit, hic vir doctissimus curiosus est, tu, nisi quonon fit adduxeris, vapulabis.

Postero die Aesopus per urbem aliud ex alio cogitans incedere & quærere, quem simplicem & minime curiosum probare posset hero suo, cū videt rusticum hominem negligenter cultum ac curatum forte in suo loco assedisse. Eum igitur de habitu corporis ratus esse neutiquam curiosum, familiariter appellat, & verbis heri sui inuitat ad cenam. Rusticus diuinitus occasionē sibi offerri existimans, vt sine suo dispendio bene esse statim promisit, nihil etiam percunctatus, quid hominis herus foret, ac iam ne, inquit, imus? Cui Aesopus, maximè, & de sermone etiā maiorem

maiolem in spem adductus, sese compotem voti effectum, planeque gratulans sibi inuentum esse, quem quassisset, Sequere, inquit. Cumque in coenaculum peruenissent, vbi lectuli strati essent, in proximū rusticus, ita vt erat luto & puluere foedus, incubuit. Quem ad cenam veniens Xanthus conspicatus, rogat Aesopum quid hospitis sit. Cui Aesopus respondit: Esse incuriosum, quem iussus fuerit adducere. Recte inquit curasti, & admoto ore ad aurem mulieri, praedicit illi, habiturum se causam verberandi Aesopum, quam diu vestigarit, modo ipsa se morigeram in omnibus, q̄ iussa fuerit, praebet. Ac mox clara voce: Mulier, inquit, aquā inferto, & pedes hospitis lauato. Illa nihil morata attulit aquam infusam in peluim, & procubens ad lectulum, in quē rusticus sese instrauerat, petijt ab illo vt pedes porrigeret. Xanthus nullo modo putabat latitium hoc rusticum, & prorsus recusaturum seruitium dominae: At ille secum: Sane labor iste debuit ancillae delegari, sed quid in sua quisque domo instituat, non est meum reprehendere. & protensis pedibus, Domina, inquit, licet detrahtis peronibus iam laues. Iam erat fames mitigata discumbentibus, petit igitur poculum Xanthus, & allatum rustico dat in manus, iubetque bibere, sperans principium honoris gratia ad se remissurum, quod exquisitum videri posset, & suppeditare verberandi Aesopi causam. At rusticus decere facere cogitans, quod mandaret is, qui cenā daret, acceptum poculum Xantho vacuū reddidit. Xanthus omnino cupiens Aesopum

refellere, & efficere, vt aliquid eorum, quæ face-
 ret, hospes curaret, vbi videt forte illum valde
 auidè mandentem certum cibum, reprehendere
 eum cibum cœpit, ac dicere, insulsum esse voca-
 tumq; cocum iubere loris ibi ante mensam con-
 scindi. Neque dubitabat, quin rusticus defensu-
 rus esset cocum, sed ille tacebat, quod sua nihil
 interesse arbitraretur, quid herus in seruum sta-
 tueret. Ad vltimum cum placentæ appositæ fuif-
 sent, illisq; se ingurgitaret rusticus, quippe cui
 domi vxor non consueuisset torrere, animaduer-
 sa ea re Xanthus, iubet accersi cocum, ac scelus,
 inquit, ita ne facere te oportet, vt cibos vniuer-
 sos corrumpas? Quid enim insipidum magis pla-
 centis istis fieri potuit, quibus apparet neq; mel
 neque condimenta exotica te admiscuisse? Co-
 cus a se culpam repellens: Licet, inquit, here ira-
 scaris mihi, si placentæ sunt crudæ aut adustæ: cæ-
 terum si condimenta absunt, ego sum extra cul-
 pam, teq; par est vxori tuæ succensere, quæ quic-
 quid dedit id omne mihi in placentas absum-
 ptum est. Tum Xanthus: Vxor is igitur meæ pec-
 catum est, vt audio: at ego deos testor, non leuius
 illam me castigaturum, quam ancillam ære meo
 emptam. Ac conuersus ad mulierem: Vestes, in-
 inquit, hic pone. Sperabat enim hoc saltem non
 passurum rusticum, & tam indignam iniuriam
 ab innocente muliere depulsurum, facturum-
 que vt irati hospitis sæuitiam verbis minueret.
 Verum ille apud se: Aiunt, inquit, vicini mei,
 se non consueuisse restinguere flammam, qua i-
 ipsi non adurantur: Neque ego igitur inferam
 me

me alienis negotijs, & Xanthum præhendens manu: Quæso, inquit, si ita videtur, paulisper mane, dum & meam vxorem adducam, ne ista sola vapulet, sed ambæ potius & quidem alterius plagis. Xanthus etsi ferebat agrè, simplicitatem hospitis omnes occasiones verberandi Aesopum præcidisse, tamen & res ridicula illi visa, & ipse coactus fuit fateri, adduxisse Aesopum hominem nequiquam curiosum. Paucos post dies erat in foro Xantho negotium: mittit igitur Aesopum exploratum, an magna esset hominum turba apud forum: Quem cum in via obviam habuisset prætor Samiorum, interrogavit, quò abiret? Cui Aesopus respondit: Nescire se quò quidem nunc iret. Prætor irrideri se existimans, licitoribus imperat, ut illum comprehendant, & in carcerem ducant. Tum Aesopus: Censen', inquit, cum domo exirem, credidisse, me ad carcerem tendere? Prætor delectatus responso, iussit hominem dimitti. Ita ille institutum inter ad forum perfecit. Ibi cum innumerabilem multitudinem hominum conspiceret, fortè videt vnum in ius alterum rapere, qui pecuniam debitam non vellet solvere. Qui debebat, prætendebat inopiam suam, daturum tamen operam se aiebat, ut dimidium alicunde corraderet. Cui creditor: dimidiū? Sanè, benè, inquit, tantū dato, & res esto soluta. Nam præstat dimidium retinere, quàm totum amittere. Habebat enim pro amisso, quicquid ad iudicationes dedoluitum esset. Aesopus cum hæc, ita ut diximus, fieri vidisset, regressus domum nuntiat he-

ro, vix vnum hominem in foro conspici. Xanthus
 re non intellecta, & miratus qui fieret, domoq;
 egressus ferius, ubi ad forum venit, conspecta ta-
 ta multitudine: Scelus, istine, inquit, interea du-
 cessamus, conuenere? Aesopus rem illi omnem ex-
 posuit, & turbam quidem esse ingentem confes-
 sus est, sed in tanta turba se non plus vno illo ho-
 mine, quem memorasset, cognouisse. Videri po-
 test hoc effectum de facto Diogenis, quem tra-
 dunt aliquando Athenis in arcem conscendisse,
 & ingenti voce citasse populum. Ad quem con-
 currentibus vndique plurimis, & incensis praeco-
 nio, quod facturus ille videretur: Ego, inquit,
 homines citavi, non scelera, quod Graeci dicunt
 κατὰς ματα. Post haec, non breui sane tempore,
 inuitatus ad conuiuium Xanthus, cum ibi ades-
 sent & alij professores disciplinarum & sapien-
 tia, alterque alterum poculis graeco ritu inuita-
 ret, quod προπινεvilli dicunt, fiebat Xanthus
 hilaris, quod iam plusculum bibisset. Tum Aeso-
 pus cernens in ebrietatem procliuem ferri he-
 rum, vt post illum astabat: Here, inquit, Bacchum
 primum aiunt exhilarare homines, deinde ebri-
 os, postremo insanos facere. Xanthus offensus
 monitione: Abi, inquit, & liberis tuis reserua haec
 praecpta sapientiae. Hoc autem dictum Anachar-
 fidi Scythae ascribunt quem Laertius tradit con-
 spicatum in Graecia vites & vuas, dixisse, singu-
 las vites triplices vuas ferre: Vnas latitiae, alte-
 ras temulentiae, tertias immanitatis. Quod post-
 ea dictum aliqui dilatarunt. Sic igitur loquitur
 quadam in graeca fabula Bacchus:

Tres

Tres tantum ego sanis crateras misceo,
 Vnum valetudinis & hunc primum ebibunt.
 Secundum amoris. at soporis tertium:
 Quo, qui sapere solent, eunt hausto domum,
 Nam quartus haud est amplius crater meus,
 Sed contumelia, velut huic proximus
 Clamoris. hunc sequitur commessandi furor,
 Ita septimus habet vulnera, octauus forum,
 Nonusque stomachum. At decimus est insania,
 Qui iam pedibus insistere amplius haud finit.
 Nam plurimum vini inditum in vas paruulum
 Sternit sine omni, quem replet, negotio.

Atque ita procedente potu, vnus ex conuiujs
 cernens Xanthum ebrietate obrutum, varijs qua-
 stionibus agitare coepit, quibus ille vt quidq; in
 buccam venerat respondendo euomebat. Quare
 ille alter arrepto tempore: Xanthe, inquit, Me-
 mini me legere, arte fieri posse, vt ab vno homi-
 ne totum mare ebibatur, quod ego nunquam cre-
 didi, & ex te scire studeo, an verum esse existimes.
 Tum Xanthus, parum etiam intelligens quid e-
 balbutiret: Maxime, inquit. Atque ipse adeo fa-
 cere possim, neque verear volenti pignus dare,
 domum meam ponere. Placuit hoc isti alteri, &
 aestimari domum petijt, & re confecta vterq; an-
 nulum tradidit, quo obligatio firmaretur. Atq;
 ita tum, nam erat multum noctis, discessum est.
 Cum vero iam illuxisset, & Xanthus, qui de le-
 cto surrexerat, manus vellet abluere frigida, an-
 nulum, quod crederet sibi forte delapsum e di-
 gito, requirere coepit. Tum Aesopus: De annulo
 non habeo, inquit, quod tibi praeterea indicem

nisi illum domum tibi tuam quasi per ludum ire creptum. Xantho dictum admiranti narat Aesopus, quæ inter pocula præterita noctis gesta sint, quorum prorsus ille oblitus fuerat. Quare rem expendens, quæ perfici non posset,angebatur animo, non inueniens quomodo sponsionem euerteret. Inq; ea solitudine, curis hæsitacione sua ad Aesopum, cuius monita prius despexerat, cogebatur recurrere, peritum opem & consiliū. Ergo illum blandissimo sermone appellans, iubet meminisse, quid sibi benevolentia fideique pro seruitio debeat, promittit etiam de sua memoria valde prolixè. Nec difficulter non immanis fuetum hominem permouit, vt polliceretur se effecturum, ne sponsione facta teneretur. Nam præstari, inquit, quod spondidisti, neutiquam posse ipse vides, sed ad obligationem dissoluedam, ne ea res tibi detrimento sit, ac gloriam etiam pariat, viam me esse inuenturum confido. Iam enim tempus aderit promissa perfici, at tu caue aliquid mœroris aut tristitia præ te feras. Quin ipse etiã vltro littus maris lectulis & pincernis occupa, cumq; multitudo ad spectaculum confluxerit, iube recitari formulam sponsionis, in qua est: Mare epoturum. Ni faciat, domum suam aut minas centum dare spondit. Quo facto, posce phialam in omnium conspectu aqua marina repletam, eamque manu tenens, sic loquere: Quid effecturum me promiserim, quamque poenam, ni fecissem, mihi ipse dixerim, audiuitis Samij, egoque ita rem gestam esse fateor, & hoc ago vt videtis. Cæterum nemo est vestrum.

trum, quem fugiat immensa numero & magnitudine flumina omnibus è terræ partibus in mare influere, quibus prohibitis, vbi mare purum relictum mihi fuerit, paratus sum facere, quod facturum me dixi. Nam de fluminibus ebibendis ipsa sponsionis formula, vt audiuitis, nihil mihi imponitur. Quæ cū omnia Xanthus sicut edoctus fuerat peregisset, acclamare illi tota multitudo, & non oculis solum ac gestu, sed etiam conuicijs aduersarium petere, iubereq; auertere epoturo maris flumina. At is victum se sapientia Xanthi fassus, orare vt irritum esset contractum negotium, pœnam se permissurum arbitrio quorumcunque Xanthus voluisset. Ignouit Xanthus sapientiam sibi cōcedenti, eamque se humanitate velle accumulare dixit, itaque remittere illi & pœnam & pœnæ arbitrium. Hanc callidam excogitationem Plutarchus Bianti attribuit.

Aliquantò post misit Aesopum Xanthus ad obseruanda auspicia: Solebant enim veteres & Græci & Latini ferè res suas auspicato gerere, hoc est, spe concepta de euentu, ex aliqua notatione volatus, vocisq; auium, aut aliarū rerum obseruatione. Iusserat autem circumspicere, nūcubi par cornicum incubaret, quod si quis dextrum habuisset, portendere boni aliquid aiebat. Aesopus fortè conspicatus par cornicum, vt Xanthus voluerat, properè ad illum renunciat: Qui egressus, vt & ipse contemplaretur, non nisi vnam videt, cum interea altera auolasset. Quare tanquam irrisus ab Aesopo, iubet illum

verberibus dilacerari: Adhucque vestes illo ponente, aduenit qui ad cenam inuitaret Xanthum. Tū Aesopus: Quæ posthac, inquit aruspiciæ fides erit, cū mihi, cui ex illius præceptis bonū portendebatur auspicianti, malum detur, huic cui debatur malū, bonum: Quo dicto Xantho mitigato, effugit tum quoque Aesopus verberationes.

Non diu post, cum Xanthus ad cenam vocasset viros sapientiæ laude celebres, Aesopum iussit præsentem foribus, neminem admittere de populo, & ab illo sodalicio alienum. Ille ad Ianuam assidens vt quemq; ex ijs qui inuitati fuerāt, ita vt sit, festinātius aduenire cernebat: Quo se modo, inquit, canis infert? Tum ille, qui hoc audierat, ratus se per ignominiam canem increpatum, discedere iratus, neque introire in ædes. Ita elusis penè omnibus, postremò aduenit reliquis vnus callidior, & ingenio ac moribus festiuioribus. Quem cum Aesopus similiter compellasset, ille: Quomodo nisi pedibus? inquit. Is igitur solus introgressus, cum iam esset diei multum, & conuiuarum præterea nemo veniret. valde indignatus Xanthus, postridie cum illis expostulationem acerrimā instituit, derisum se quaerens. At illi, Insanis, inquiunt, vel tu vel nos, & quomodo accepti essent ab ipsius seruo, exponunt. Prope astabat Aesopus, & neque accusatiōne ista, neq; minacibus heri oculis perterritus: Ita enim, inquit, feci, vt tu mandaras, de plebeis & alienis à catu sapientum. Tum Xanthus: Verbero, inquit, stulti igitur hi tibi vidētur, quos tu tanquā canes abigere ausus? Minime tanquam canes!

Canes, Aesopus inquit, sed profecto extra vnum illum, qui apud te fuit, sic meliocriter videntur sapere omnes. Quid ita vero, scelus? inquit. Ita vero, quia interrogati. Quomodo se canis inferret, nemo eorum intelligere potuit, praeter hunc optimum & doctissimum virum, qui tecum est cenatus, qui, pedibus, mihi respondit. Quid illi facerent Philosophi? fatebantur rem ita se habere, vt Aesopus dixerat, & se parum tum quidem sapientes fuisse.

Post dies sanè non paucos, deambulaturus Xanthus inter monumenta, Aesopum, vt consueuerat, sequi se iubet. Ac contemplantibus illis inscriptiones, quæ Græcis Epitaphia dicuntur, Aesopus animaduertit in saxo incisas litteras græcas, α. β. δ. ο. ε. θ. χ. Quas statim Xantho indicat, & iubet noscere, quid sibi velint. Ille in omnes partes animum ac cogitationē versans, nullam potuit intelligentiam illarum percipere mente sua. Tum Aesopus: Ecquid erit premij, inquit, si thesaurum hic nunc effodero? Xanthus dimidium inuēti auri & libertatem pollicetur. Ibi Aesopus ex eo loco, in quo saxū ijs litteris, quas diximus, insigne situm erat, digressus passus quatuor, cum non multum terræ eruisset, amphoram plenam aureūm Lydiorum reperit: Qua hero tradita, petit vt fidem suam præstet. Tum Xanthus: Sic demum, inquit, fecero, si tu etiam harum literarum significationem mihi ostenderis, quibus de thesauro certior factus es, quod quidem pluris æstimo, quàm aurum. Aesopus nihil cunctatus, illarum sententiã græcè exposuit,

posuit, quæ telis est: Progreditor passus quatuor
 fodito, reperies thesaurum auri. Xanthus cum
 etiam hoc extudisset, illudens illi: Cum aurum,
 inquit, scias effodere, non est animus amittere
 te. Tum ille: Atqui here, inquit, nolo te latere
 inuentum thesaurum deberi regi Byzantium
 hunc enim illi tradit sententia earundem litte-
 rarum: Redde regi Dionysio, quem reperisti the-
 saurum auri. Quo audito Xanthus: dimidium, in-
 quit, auri accipe & tace. Ita, inquit ille, faciam.
 Quanquam non tu quidem mihi aurum hoc tri-
 buis, sed qui illud defodit. Hæ litteræ enim sub-
 latum thesaurum iubent diuidi. Et possunt qui-
 dem, ita vt fecerat Aesopus, ad has omnes senten-
 tias litteræ istæ accommodari. Tum Xanthus: Quin-
 imus igitur, inquit, & thesaurum inter nos par-
 timur. At domum reuersi, cum metueret loqua-
 citatem Aesopi, iubet comepedes illi iniici: Qui
 cum comprehenderetur, ingenti voce exclama-
 re coepit: Hæcine est philosophica fides? Xan-
 thus motus inuidia dicti, solum illum iubet, &
 comprimendum tibi, inquit, istud tuum vanilo-
 quum os est, si libertatem cupis adipisci. At ego,
 inquit ille, ne supplicem tibi esse censeas, velis
 nolis paucos intra dies liber ero. Atque ita dein-
 ceptas res exponemus, quibus maxime Aeso-
 pus laudem est consecutus, nimirum iam manu-
 missus, vbi in lucem prodire, & nobilis esse apud
 reges & potentissimas ciuitates coepit. Is etenim
 cum seruitutem, in quam fortuna eum coniece-
 rat, magno animo pertulisset, conscius ipse sibi
 sapientia suæ, neq; vltra neq; infra debitum mo-
 dum

dum illam aestimans, occasionem oblatam claritatis & famæ nanciscendæ non neglexit. Atque ea fuit talis: Festo die, in maxima Samiorum celebritate, aduolans aquila rapuit annulum publici signi, isq; in sublime auferenti elapsus, in sinum seruuli decidit. Quæ res terrorem Samijs incussit, visaq; est aduersi aliquid portendere ciuitati ac reipublicæ. Quare omnibus sapientibus & scientia magnarum rerum celebribus accersitis, inq; primis Xantho, petiere ab illis, vt animaduertent eius quod accidisset facti significationem. Fatentibus alijs, coniecturam se nullam inuenire, Xanthus postulauit, vt aliquot sibi dierum cogitandi de re maxima spacium daretur. Quo impetrato, sollicito anxiusq; domi inter curas perpetuas volutabatur, & desperata explicatione, magnum præ se mœrorem & tristitiam ferebat. Aesopus, sicut antè etiam fecerat, quid illum perturbaret, sciscitari, & suam operam polliceri. Xanthus rem illi exponere, & queri, ætatum de existimatione sua, quam vt contemneret posset, metuere etiam capiti ab infano & irato populo. Non, inquit, deseram te, & vt prius quoque feci, ex hac difficultate, qua nunc teneris, te eripiam. Tum modò sic facito, vt dicam tibi: Ac crastinus opinor dies est vestræ responsioni datus, at tu ita apud populum loquere. Non ignoro ciues, solere ad omnium rerum famam in alijs atque alijs diuersas opiniones existere, ac fere illas fingi pro vniuscuiusque ingenio & captu. Ita cum aliquem sua sapientia inter homines extulit, vt mihi apud vos alijsque acci-

accidit, tum illum quisque eas res scire ac sapere putat, quas ipse fortè requirit & nescit. Atqui, ciues, aliter se res habet, ac sicut aliarum artiũ certæ sunt professiones: ita sapientia quoq; non omnium promiscuè rerum cognitionem cõtinet, quanquam diuinarum & humanarum rerum est scientia, sed vna quædam & ipsa est certæ artis professio. An vos arbitramini, sapientem, tonsorem etiam atq; cerdonem esse oportere, quoniã istæ res sunt humanæ? Quid igitur sapientiam vocem, quæritis ciues? Diuinitatis ac humanitatis scientiam, quæ profecto est ars vitæ & morũ. Illa igitur naturas rerum vestigat, cælestium terrenarumq;: illa pietatem, cultum, obseruationem, vsum decorum hominumque tradit, estque veritatis cuiusdã quasi naturalis magistra. Neq; igitur ariolos aut vates sapientia efficit, neque vos à nobis huius rei scientiam exigere debetis. Proinde si qua quæstio fuerit nata de dijs, deque illorum cultu, de vita & moribus hominum, de alijs naturalibus rebus, nostram operam experimini Samij, nunc quærite potius qui augurandi discip'iam teneant, cuius quidem, nisi fallor, perquam peritum seruulum domi habeo, quod non putavi vos celare me oportere, vsque adeo proximo casu perculos: etsi fortasse parum fuerit decorum vobis, in maxima re à seruo admonitos cõsilioq; adiutos esse. Huiusmodi si tu orationem here apud Samios habueris, missum te facient citra contumeliam, seu me volent, siue nolent audire. Nam si forte me non respuerint, deque prodigio differentem laus fuerit secuta,

tua profecto illa: sin contra dedecus, proprium
 hoc meum erit. Placebat consilium supra mo-
 dum Xantho: non enim videbat quorsum ten-
 deret. Nec moratus, cum eluxisset, in concione
 ascendit ubi iam diu frequens populus exspe-
 ctabat, & ita ut edoctus fuerat praefatus, seruum
 pro se interpretem prodigij demonstrat. At il-
 lum, clamare multitudo, quamprimum accer-
 sendum, Xanthumq; obiurgare, qui non addu-
 xisset secum. Tum aduocatus Aesopus, ubi in fo-
 rum venit, ad primum conspectum sui maximū
 risum excitauit omnium. Atque ibi aliquis è tur-
 ba: Quis hunc, inquit, diuinum esse neget, in quo
 humani apparet nihil? Alius: An ubi natus esset,
 stipites loqui consueuissent, quarebat. At ille in
 medium progressus, hanc orationem habere in-
 stituit: Non debet Samij deformitas oris meū
 vel mihi à vobis contemptum parere, vel spem
 à me vobis praecidere. Neque enim formoso
 nunc vsus eget, neque de venustate corporis, sed
 de animi habitu homines sapientes aestimari so-
 lent: Nunquam ne inquinato in dolio suauissi-
 mum vinum reconditum fuisse, aut ingratum
 aureo poculo propinari comperistis? Intelligen-
 tiam & vim ac perspicaciam mentis requiritis,
 non virium robur, aut ingens pulchrumue cor-
 pus quale quidem meum minime esse cernitis,
 verum de animo, qui intus latet, nolite quaso
 prius sententiam ferre, quam illius interpretem
 orationē audiueritis. His verbis sedato murmu-
 re, cum omnes, ut si quid haberet, in commune
 proferre vellet, expeterent; tum ille ita locutus
 fer-

fertur: Et vos me hac gratia accersuistis, & ipse ea voluntate assum, sed cum cogito, neq; me dece-
 re seruum de tantis rebus in concione verba fa-
 cere, neq; verbis dignum esse auscultare, me in-
 super in omnem euentum apud herum meum
 periclitaturū, vestrum fuerit, & consulere meo
 timori ac verecundiæ, & conseruare dignitatem
 vestram, mihiq; libertatem impertire. Nemo e-
 rat, quin æquum postulare illum iudicaret. Pla-
 cuit igitur Aesopum publicè liberatum manu-
 mitti, agiturq; cum Xantho, vt quanti sit indi-
 cet, iubenturq; quæstores pecuniam persoluere.
 Xanthus cum videret, etiam inuito se Aesopum
 liberum futurum, puderetq; adeo hominem lo-
 cupletem facere minimi precij mentionem, ali-
 quam gratiam apud Samios inire statuit, ita que
 respondit, se Samijs donare Aesopum seruum
 suum, quo pro arbitrio suo respublica vteretur.
 Quæ res valde grata fuit populo Samio, statim-
 que prætor iussus est libertate donatum Aeso-
 pum ad ciuium numerum adscribere, cum præ-
 conium esset factum, populum Samium liberum
 esse, & ciuem iubere Aesopum, dono acceptū à
 Xantho philosopho. Ibi tum Aesopus de prodi-
 gio in hunc modum disseruit: Nemo vestrum
 est, ciues, qui nesciat, regiam volucrē esse aqui-
 lam. Quare quòd aquila raptum signum publi-
 cum detulit in sinum serui, ea conditione homi-
 nis, vt nihil in se ipse habeat iuris, sed sub alteri-
 us prorsus potestate sit, quid aliud portendere
 velit, quàm aliquem potentem regem vestram
 libertatem euersum esse iturum, & conaturum
 ciui-

civitatem vestram subijcere sub potestatem suam? Quo audito magnus Samiorum animos terror inuasit, deq; statu ac salute communi solliciti, quò euasura esset prædictio exspectabant. Neque diu sanè post legati à Cræso rege Lydorum affuere, qui postularent, vt Samij regi tributum penderent, quiq; si aliter essent animati, illis bellum denuntiarent. De ea re cum deliberatum aliquantisper esset, cum maximæ partis animi ad pacem & seruitutem inclinarent, visum est Aesopum quoq; consulere, qui rogatus sententiam, ita locutus fertur: Duas pandit vias fortuna mortalibus in hac vita, ciues, vnam libertatis, cuius initium est asperum, finis planus: alteram seruitutis, qua prima nihil est mollius, extrema nihil durius. Ad hæc Samij cupiditate incensi retinende libertatis, vnanimi voce acclamarunt: Liberi cum simus, serui nostra voluntate nunquam sumus futuri. Ita legati bello indicto discessere. Rex cognita re, Samiorum audaciam valde mirari, & bellum apparare cœpit. Vbi verò intellexit, procliues ad imperium accipiendum Samios, vnius viri oratione à sententia destitisse, illum coràm cernere & audire velle, maximè cum legati narrarent, paucissimis illum verbis tantam rem effecisse. Petit igitur rex à Samijs, vt Aesopum sibi tradant, quod si fecerint, in præsentia se metu illos belli liberaturum. Cognita re Aesopus, minimè sibi esse contrarium ait, ad regem se mitti, prius tamen quàm proficiscatur fabulam memorare velle.

Quo tempore, inquit, bruta etiam animalia

com-

commercio sermonis utebantur, bellum ingens inter lupos & pecudes est exortum. In quo, cum non essent inferiores pecudes auxilio adiuta canum, legatis missis pacem illis lupi obtulere, ea conditione, ut canes sibi traderentur. Pecudes cupida pacis, non intellecta fraude hacque lege pace facta, & destituta canum praesidio, lupis praedae direptioni que; postea fuere. Samij cum viderent quorsum haec tenderent, negarunt se illum dimissuros esse. Sed Aesopus non passus se retineri, cum legatis naue conscensa Sardis ad regem discessit. Quo viso per contemptum Rex: En, inquit, virum, per quem stetit, quo minus Samij in potestatem nostram venirent, simulque indignatione & ira incitatus, inimicis illum oculis intueri, & vultu minari malum. Tum Aesopus adorato illo pro more gentis: Non traditus, inquit, a civibus meis, neque vlla vi compulsus, sed sponte & voluntate mea hic coram te adsum, teque oro rex, ne graueris paulisper tuas aures orationi meae concedere.

Captabat laqueolis puer corruclulas, coepitque forte cicadam, quam cum iam iam esset interfectorus, orare illa coepit, ut sibi parceret: Quem enim, inquit, ego vnquam damno affeci, aut quem potui omnino afficere? quae soleo homines, ramusculis arborum & graminum flosculis insidens, cantu meo exhilarare. Quid autem commoditatis poterit tibi morte mea parari? Vox enim in me est, neque quidquam praeterea. Commotus adolescens misericordia, emisit cicadam. Et ego te suppliciter adorans rex, obsecro, ne me
 inno-

innocentem extinguas: nihil enim in me est præter sermonem, quoad usum & delectationem hominum uti consueui. Mouit regem sermonis elegantia, simul etiam misertus hominis, vitam illi se tribuere ait, & præterea quidquid à se petisset. Tum Aesopus: Parce, inquit, rex ciuibus meis. Quod verbis rex Aesopo promisit, iussitque diplomatis firmari, nec parum hæc pietas, regem Aesopum commendauit. Qui reuersus Samum, allato nuntio reconciliationis, tantam lætitiã excitauit, ut ad templa deorum tota vrbe supplicatum iretur, essentque festiuitatibus plena omnia. Ipsi etiam Aesopo statua posita est, in cuius basi, quo merito hic ipsi honor habitus esset, præscriptum legebatur. Quam quidem statuam deletam bellorum temporibus, quibus grauissimè illam insulam conflictatam legimus, verisimile est. Lysippus tamen multis sæculis post, sic ut septem sapientum, ita Aesopi etiam effigiem ære expressit, ut testatur græcum epigramma, cuius hæc est sententia:

Quam benè adhuc Lysippe tua Sicionis alumne
Aesopi effigies cernitur arte, senex?

Quæ septem ante chorum sapientum iure locata est,
Quos etiam ingenio vicerat ille suo.

Seria commendans commentis dicta iocosis,
Ac homines blando qualibet ore trahens.

Cum tristes illi monitus violentaque iussa,
In populum lingua præcipiente darent.

Ergo quod illorum sententia docta nequiuit,
Hic homines ludens, ut saperent, docuit.

Posthæc redijt ad Cræsum Aesopus, inquit illius
C gra-

gratiam composuit eas fabulas, quæ adhuc sub ipsius nomine feruntur. Ea tempestate Assyriorum regnum Babylone possidebat Lycerus, siue, vt apud Herodotum legitur Labynetus, iunctus societate & fœdere Cræso, cui & in bello aduersum Cyrum postea operam nauasse fertur, neq; defunt, qui Cræsum ab hoc incitatum, cum Cyro bellum suscepisse tradant. Cum autem Acso- pus incredibili teneretur desiderio visendi orbis terrarum, & cuperet magnopere Babylona, celeberrimam magnitudine, operibus, copijs, urbem aspicere: petijt à Cræso, vt regi Babyloniorum litteris se commendaret. Quo facile impetrato, priusquam illud iter ingrederetur, constituit in Graciam trajcere, fama inuitatus septem sapientum, quæ iam vbique gentium clara erat. De quibus haud ab re fuerit, hoc loco non nihil memorare. Non conuenit inter Græcos scriptores, neque de numero, neque de nominibus sapientum istorum. Plures enim alij, alij pauciores quàm septem tradidêre, nominibus diuersis, ab ijs quæ vulgò nota sunt. Plato septem nominat, & quidem vsitatis appellationibus, nisi quòd Periantri loco Mysonem Chenensem ponit. Indignum, vt credo, iudicauit illum sapientiæ laude, qui in patria tyrannidem occupasset præsertim cum ipsius scelerata aliquot imprimis facinora prodita essent. Quòd verò septem adeo, istisquæ nominibus illa ætate sapientes habiti fuerint, quærenti mihi, hæc se caussa potissimum offert: Miletus vrbs fuit maritima Cariæ, colonia Ionum, vbi cum à piscatoribus quidam iactum re-
de-

demissent, illiq; cum piscibus auream cortinam
 extraxissent, orta inter partes controuersia fuit,
 cum non negarent piscatores, quidquid piscium
 captum esset redemptoribus deberi, fortuna quod
 munus addidisset, suum esse oportere. Contra il-
 li, nulla exceptione iactum eos vendidisse aie-
 bant. Si nihil extulissent, iacturam ferendam fu-
 isse: cum fortunæ benignitas affulserit, iniustum
 videri se lucro fraudari. Videbatur lis, & propter
 ipsam & quia precij non erat contemnenda ma-
 gnitudo, digna esse, quæ non negligenter deci-
 deretur. Permittitur iudicium Milesijs. illi cum
 quid statuerent non inuenirent, Apollinem Del-
 phicum, quid iuberet fieri, consulunt. Quem ita
 respondisse ferunt:

Incola Miletu tripodem consultus Apollo
 Illi dat cuius vincat sapientia cunctos.

Quo oraculo allato, nemo dubitauit, quin ab
 Apolline destinaretur aurum Thaleti Milesio
 cui, artium & doctrinæ facile principi. In tali
 quippe fama fuit sapientiæ Thales, vt si quem
 Græci postea vnquam præclare laudare vellent,
 eum alterum Thalem esse dicerent. Sed non mi-
 nori gloria Thales reiecit donum, q̄ ad se dela-
 tum fuerat. Neque enim sibi esse tantæ sapien-
 tiæ conscium, vt crederet oraculo sibi aurum ad-
 iudicatum, iussitq; deferri Prienas in vicinam vr-
 bem, ad doctum hominem Biantem. Is eadem
 vsus animi moderatione, aurum in Lacedæmo-
 na Chiloni transmisit. Chilo similiter à se ad
 Solonem ablegauit. Ille in Rhodum ad Cleobu-
 lum. A quo tandem ad Pittacum & inde Pe-
 riam

riandrum peruenit, qui siue ignoratione, primū omnium Thaletem non voluisse retinere, siue etiam certo iudicio, at Thales autem, ne receptum quidem seruandum duxit. Delphicoque Apollini consecrauit, solum deum, & præmio & opinione summæ sapientiæ dignum ratus. Verum hac ex re horum septem nomina in maximam celebritatem & admirationem omnium deuenere. Scio hanc historiam paulò aliter ab alijs referri, qui vel Soloni consecrationem tripodis adscribant, vel pateram auream pro tripode Thaletem dedicasse velint. Adducentes etiã inscriptionem huius ferè sententiæ:

Thales potenti me in Nilei populo duci
Captum bis hoc virtutis offert præmium.

Sed mihi receptissimam opinionem narratione exequi placuit. Verum Aesopus, cum in Græciam ea cupiditate atque proposito, quod indicatum est, venisset, reperit commodum Corinthi vniuersos, vnaque Anacharsiden Scytham, & multos horum sectatores ac discipulos. Inuitat enim hos Periander, siue quodam sapientiæ studio incitatus, siue hac via ad gloriam nitens. Nec minus illi libenter Aesopum videre, quàm ipse eos petierat, cum iam pridem fama factorū & sapientiæ huius in Græcia percrebuisset. Accepti igitur conuiuio extra urbem in Periandri villa, cum varijs, vt fit, sermones inter ipsos sererentur, Periander de regno iniecit mentionem, quod cum à sapientibus ferè damnareretur, tanquam perniciosum rebus humanis, & inter pestilentes administrationes poneretur, illo Græcorum in-

suo

sito sensu, quo libertatem amplexantes, dominationis quasi iugum detestati fuere. Itaque cum in regnum, siue ut græca voce dicitur, tyrannidē sapientes inueherentur, non dubitauit Aesopus oratione & sententia sua illis refragari, neque nō dictis pūgere sapientes, quasi illi superbia animi & insolentia elati, etiā vulgi studium aucupātes, Regibus essent infesti. Neque probare Solonis contemptum regiarum opum Cræsi, neque ad eō illius sententiam veram esse dicere: Ante mortem beatum appellari debere neminem. Non enim, si quid in vita prosperè feliciterque cecidisset, indignum videri beatitatis nomine, nec sanè infortunium vocandum res secundas, quibus commutatis, & illam rationem beatitudinis tolli, ita ut restitui discessu aduersarum. Nihil enim in rebus humanis firmum, certum, fixum, stabile esse. Ut autem sole splendente serenum diem, eodem tecto nubibus, turbidum dicemus, non quidem in perpetuum, sed in præsentia: Ita rectè & beatum & infelicem vnum quemque nuncupandū, pro fortunę statu: Nisi quis delectaretur illa argutiola, fortunatos esse in prosperitatibus homines, non beatos, Hæc locutum, vnus ex sectatoribus sapientum, adolescens Bœotius, præter ætatis decorum adortus pœnè contumeliosè: Tum, inquit, audebis in hoc cœtu sapientiam & virtutem opibus diuitijsq; postponere? Quod quidem Aesopus, quia minimè fecerat, ut illum præposterè exultantem coërceret, hanc fabulam narrauit:

Mula Lydia conspecta in fluuio forma sua, placere

cere sibi cœpit, & caput iubasq; iactare, impleri-
 que animo, & cum fremitu ad cursuram sese pa-
 rare, quasi nullis equis cessura, cum subito inter
 harum cogitationum superbiam paterni gene-
 ris recordatur, cuius humilitate perculsa, desijt
 videri velle quod non esset, Atque ita illo refu-
 tato, sapientes sese quæstionibus mutuis exerce-
 re cœperunt, propositumq; fuit: Quid omnium
 maxima cum laude Rex aut Princeps facturus
 videretur? Tum Solon. Quid enim inquit, nisi re-
 gnum concedens populari administrationi? Cui
 Aesopus: At tu quin seruis & familiae tuae dome-
 sticum imperium concedis? Bias: Conseruans, in-
 quit, ante omnia morum, institutorum, legum-
 que usum. Etiamne, inquit, Aesopus, Idianorum,
 vbi more gentili & patrio parentes liberi ma-
 stant ac epulantur? Thales: Nemo, inquit, Regē
 laudet, quàm si ita viderit regni habenas mode-
 ratum, vt antè legitimum tempus nulla violen-
 tia excussus fuerit. Sic ego, inquit, Aesopus, gu-
 bernatorem nauis rectius laudauero. Anachar-
 sis: Si solus sapiat, inquit. Ergo subditos, inquit
 Aesopus, dementes omnes esse oportebit. Cleo-
 bulus: Nemini fidem habendo, Nos ne, Aesopus,
 de fœneratore, inquit, censes quærere? Pittacus,
 Si ita, inquit, si erga potestati suæ subiectos ge-
 rat, ne magis ab illis metuatur quàm ametur. Fa-
 cile, inquit Aesopus, indulgētia hoc efficiet, qua
 liberi corrumpuntur, vt nulla re magis. Chilon.
 Si, inquit à terrenis ad cœlestia animum cogita-
 tionesq; abduxerit. Facere, inquit Aesopus, hoc
 debet is, qui in Luna rerum potiri voluerit. Nā
 ho-

hominibus omnibus profectò hoc præcipitur:

Mortalis es: deos caue ultra animo abeas.

Quibus sermonibus habitis, omnes à Perian-
dro petiere, vt & ipse suam sententiam expone-
ret. Qui se uero & tristi vultu: Quæ dicta sunt de
regis laude, eleganter & præclare dicta sunt, in-
quit, omnia, etsi non approbantur isto, demon-
strans Aesopum. Mihi tamen, qui cor habeat
rex, hanc maximè laudem secuturus videtur, vt
rex esse desinat. Tum Aesopus ridens: Regiam,
inquit, laudem exquirentes, de folio deturbatis
regem. Etiam hic noster Solon admirabilis, qui
mortuos viuis præposuit, cum mortui nisi cada-
uera dici nihil possint. Solon delectatus Aesopi
dicacitate, demulcens illius manu sua caput, quod
infra se in sella accumberet: Tibi igitur absurdū
videtur, inquit, factu sic regē instruere, vt osten-
datur, præstare regno carere quàm frui? Maximè,
inquit Aesopus, & quidem assentiente oraculi
responso, quod tibi redditum accipimus:

Illa beata erit vrbs quæ præconem audiet vnum.

Neq; bonus profectò imperator esse, qui victo-
ria carere, quàm frui malit, neq; pastor, quem non iu-
uet cura pecoris, neq; quisquā quicquid rectè face-
re poterit rerum omnium, inuitus. His sermoni-
bus ad Cæsum postmodum allatis, inuenio tra-
ditum, perplacuisse sanè illi sapientum dicta, sed
Aesopum vnum prætulisse omnibus. Cumq; di-
ceret, oēs sibi esse illos videri mortales eximios,
addidisse: Sed in primis Phryx. *μᾶλλον δὲ φρύξ.*
Quod postea vsurpari cœptū est prouerbij loco.

In eo cōuiuio dicitur ab hospite breuiter quæsitū

etiam nonnullis de rebus, de quibus quòd sapi-
entes responoissent, acutè correxit Aesopus,
quæ huiusmodi ferè traduntur: Quid vetustissi-
mum est? Quid, nisi tempus? inquit illi. At Ae-
sopus, Imò quid, nisi Deus, qui initio caret? Quid
maximum? Mundus. Imò locus qui ipsum et-
iam mundū includit. Quid pulcherrimum? Lux.
Imò mundus, quo quidquid spectabile est com-
prehenditur. Quid sapientissimum? Veritas. Im-
mò tempus, quo alia inuenta iam sunt, alia post-
hac inueniētur. Quid maximè commune? Mors.
Imò spes, quæ sola amissis omnibus relinqui-
tur. Quid deterrimum? Mala fors. Imò vitium,
quod omnia corrumpit & fœdat. Quid validissi-
mum? Fortuna. Imò necessitas, quæ profectò
est inuicta. Quid facillimum? Voluptas. Imò
quidquid naturale est. Atque hæc inter, cum, sic-
ur fieri assolet, pocula crebriora poscerentur, &
sefe hilariuscule inuitarent sapientes, disputa-
retque Anacharsis, perfectionem bibendi esse e-
brietatem, qui finis & quod vltimum potionum
videretur, ita Aesopus illos pungere cœpit. Pa-
stores, inquit, mactauerant ouem, & in tuguriolo
comestabantur. Lupus, qui ante fores stabat, cum
quod fiebat animaduertisset: Ego, inquit, si agnū
deuorassem, qui motus futuri erant? At isti impu-
nè matrem comedunt. Quo dicto admirationem
sui cum quadam iucunditate incredibilem exci-
tauit. Et de hac fama, ipsius laus atq; nomen in
tota Græcia increbuit. Neq; diu post in Asiam
Aesopus traiecit, & Babylona, vt dudum institu-
erat, perrexit proficisci. Quo cum peruenisset,
pauē

paucos intra dies regi acceptissimus factus est. Illis enim temporibus, cum oia reges agitent, ipsi sese mutuo quaestiunculis & scirpis propositis exercebant, qui griphi à Græcis & ænigmata vocantur. Quæ qui interpretari & dissoluere poterat, & præmium & laudem referebat. Ea in re valde utilis regi Aesopus inuentus est, multumque illi præmiorum & existimationis sapientiæ acquisiuit acrimonia ingenij sui. Cæterum cum ei fortuna liberos inuidisset, vt haberet quo sectam suam oblectaret atq; sustentaret, de regis voluntate adoptauit adolescentem, bono loco natum pauperulum, ingenio non illiberali, vt videbatur. Quem, tanquam ex se natus esset, bonis artibus ac præceptis non destitit instituire, monstrareq; & præcipere, quæ ingredienda via esset tendenti ad felicitatem & gloriam. Verum scelestæ & flagitiosæ naturæ nulla cultura aut studio bonæ probæque efficiuntur, neq; illius prauitatem naturalem bonitas disciplinæ emendare potuit. Itaq; inexpugnabilem peruersitatem remouendam Aesopus censuit. Quo intellecto ille, vt mali consueuere, facinora facinoribus accumulare aggreditur, vtque se vlcisceretur, litteras confingit, quasi patre auctore, quibus ille vicinis regibus operam suam polliceretur contra Lycerum: Quas litteras ad regem defert, patremque accusat proditionis, præfatus quidem, quanto cum animi dolore faciat. Neque enim se tam inhumanum esse, vt, quid patribus à liberis reuerentiæ & pudoris debeatur ignoret, sed profecto regis patriæque curam obscurare & repellere illa

omnia. Rex nihil suspicans sceleris subesse, calumniantem ita audiuit, quasi vera afferentem, inductum studio sui. Itaque reinexplorata Aesopum statim iubet necari. Quibus id negocij datum erat, quod perspectam ad illud vsq; tempus Aesopi innocentiam haberent, & Regij animi impotentiam nossent, Aesopum abductum recondunt, relato nuntio ad regem, illum esse interfectum. Paucis interpositis diebus, ab Amaside rege Aegypti Lycero litteræ afferuntur, quibus ab eo peteret, mitti sibi architectum, qui turrim intra terram & cœlum extruere, atque vna, qui ad omnia interrogata respondere sciret, Lycerus inops consilij, cum iam etiam ira in Aesopum tempore non nihil resedisset, ingenti cum dolore requirere illum cœpit. Neque non sapè profiteri, illius se vitam, si fieri possit, regni sui parte redimere cupere. Quo audito, qui illum, vt dictum est, absconderant, regi vivere indicant, iussique adducunt sentum squaloreque obsitum. Aesopus vbi antè regem constitit, egregia oratione declarauit innocentiam suam regi, facileque diluit obiectum crimen. Ibi rex ira percitus, accusatorem ipsius per summos cruciatus iubet interimiri. Verum Aesopus impetrata vita illius, ad se recipere etiam non dubitauit, non posse tantum esse humani animi improbitatem rarus, quæ tantò beneficio non flecteretur ac emendaretur. Sperabat igitur, postea se ex animi sui sententia filium habiturum. Herodotus *θαλίᾳ* hanc historiam de Cambyse Cyri filio & Cræso memorat. Et recepto
Cræ-

Cræso, quem interfectum crediderat, non parum quidem delectatum Cambysem fuisse, eos tamen quibus trucidandi illum mandata dederat, ut qui dicto regio non obtemperassent, iussisse occidi. Aesopus lectis Aegyptij litteris rescribi iubet, verè primo in Aegypto qui peterentur futuros. Ipse filium reduxit ad sese domum, ut quæ ante quoque fecerat, non destitit optimè illi & sanctissimè præcipere, ut ex capitibus illarum præceptionum, quæ subiecimus, liquet. quæ nos excerpimus, profutura legentibus ad institutionem, ad virtutem & decus vitæ. Sunt autem hæc:

Deum cum cura magna & reuerentia colito, animi & mentis sincera integritate, non simulatione & specie sacrorum. Neque arbitrare, diuinum nomen commentum esse quo ferocia ingenia indoctorum hominum quasi puerorum terreantur, sed discito, illud præsens, fortè, efficac, verum, potensque esse omnium vbicunque rerum.

Caue spem tibi facias inanem, posse illud te quidquam celare. Neque enim perinde Deum fallere licet ut homines, cuius oculus cernit notatque omnia, ut Hesiodus dixit. *πάντα ἰδὼν Διὸς ἐφ' ὀφθαλμοῖς καὶ πάντα νοήσας.* Neque tam latè se super vniuersa solis fulgor expandit, ut Homerus cecinit, *πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντα ἐπακούει* nihil non auditque & videt, quàm certo diuinus aspectus cuncta complectitur. Quare fac scelerum etiam occultissimorum te pudeat, iuuetque culpa
vaca.

vacare in re etiam ignota omnibus mortalibus;

Quodq; præcipitur rectissime:

Reuerere rebus semper in tuis Deum.

Nam profectò ex hoc fructum percipies eum,
qui memoratur:

Ita quod ages abire non poterit malè.

Parentibus tuis eum honorem exhibeas, qua-
lem à tuis liberis exspectas. Ita enim natura com-
paratum esse scito, vt qualem quisq; erga paren-
tes se gesserit, tales ipse liberos erga se suos expe-
riatur.

His obseruatis, da operam vt pro viribus ac fa-
cultatibus tuis omnibus hominibus inferuias,
vtq; si benefacere non multum possis, ne saltem
malefacias. Verum primas beneficentiæ & volun-
tatis tuæ partes ij teneant, quos natura tecum ar-
ctissime copulauit.

Non modò annitere, vt in factis absit impuri-
tas & peccatum, sed etiam vt in dictis. Neque e-
nim scelcrate facere turpe solùm est, sed etiam
loqui.

Rationis dictata, quibus ad virtutem instrui-
mur, sequere, refrenaq; appetitus, ne quo ad vi-
tia te seducant.

Tam diu velis discere, quàm diu ignoratione
senties te implicitum: proq; lucro magis habeas
præceptorum bonorum accessionem q̄ pecuniæ.

Scitò accidere hominibus solere, quod tenel-
lis arboribus videmus. Nam si feliciter enatis nō
defuerit cultura, ad frugiferam granditatem ex-
crescunt, neglectæ verò perperam corroborantur.
Et pueritia si ad honestatem educatur, illos fert
pul-

pulcherrimos fructus actionum laudabilium & decoris. Homines enim, quibus quidem humanam mentem & rationem indidit Deus, si excolantur artium & honestatis præceptionibus, euadunt in quasdam mansuetissimas & diuinas animantes: Contra verò neglecti, aut malè instituti, in ignauissimas aut etiam immauissimas bestias.

Discere fac velis, in eo enim omnia sunt. Nequidquam est boni, quod inuiolatum permaneat, præter sapientiam & virtutem. Quæ verò studio & labore consecutus es, fac vsu & exercitatione recondas, vt durent. Acquæ enim est reprehendendum, nihil didicisse, & parta studio ac industria, amisisse negligentia & vecordia.

Noli existimare, semper esse cum oris tristitia coniunctam sapientiam. Et facit quidem seueros sapientia, inhumanos non facit.

Quæris fortasse, quid virtus sit? Scito igitur nihil esse aliud, quàm abesse ab ijs rebus, quibus teneri deforme sit: ira, inuidia, fastu, odio, luxu, libidine, auaricia, mœrore, lætitia.

Caue fidem fallas. Mentiri, sacrilegium puta. Linguam doma. Nūquam loquaces & garruli sunt veritatis & honesti amatores. Et profectò habet se res ita, vt dicitur, multitudini verborum leuitatem subesse.

Consuetudinē & familiaritatē bonorū colito. Nihil enim hac sententia est verius:

Virtutem tradet tibi consuetudo bonorum,

Fac sectere bonos, qui bonus esse cupis.

Quod si te fortuna malis inuoluerit, antè

Si quid erat mentis, scito perisse bona.

NVM

Nam sicut polypus colorem loci, cui adhæret, refert, ita eos mores quisque induit, quales sunt illorum, quibus cum familiariter viuit.

Perniciosa est oratio & sententia vulgi: In prauitate quidem turpitudinem inesse, sed coniunctam cum commodis. Itemque, probitatem laudari, verum molestam esse & inopem. Nam profecto nihil est, quod vtilius sit tendenti ad honores, gloriam, potentiam, quam opinio virtutis & iustitiæ. Quare tu ita statuas, haberasque persuasum imprimis, virtutem & iustitiam, non solum speciosiore & laudatior, sed vtiliore quoque esse, quam calliditas & malicia sit.

Caue inferas te alienis negotijs. Quietem amant. Curiositatem & inquisitionem in res & facta aliorum deuita.

Benè regitur non ciuitas modo, sed etiam domus, vbi pluris sit ocium & quies, quam petulantia & dissidium, iustitia quam iniquitas, suum tenere quam aliena rapere.

Si quod de alijs in bonam partem prædices nihil est, in malum etiam sermoni parcito: calumnijsque non solum linguam, sed ne aures quidem imperti. Nam magnopere fugiendum hoc vitium est, quo quidem duo sunt, qui vnum iniuria damnoque afficiunt. Qui enim calumnias alteri struit, illum profecto, scelerate lædit, quem à tergo & non presentem vituperat. Qui auscultat, itidem illum lædit, quia delectatur inclementibus dictis in absentem, ignarus veritatis. Ita in vanius miseri, & quidem inscientis, perniciem duplex consentit & quasi coniurat prauitas.

Tu fac animo tuo honesta, & laudabilia consilia capias, bonum euentum quære petitoque Deo.

Memento rerum omnium esse vicissitudinē, ne te aut aduersi casus nimium affligant, aut effe rant res secundæ.

Rationis vsu nihil prius aut potius habeto. Neque enim quidquam preciosus in maxima vilitate inueniri possit, quàm mens est, in humano corpore.

Tria sunt quorum te poenitere nunquam debet: Si mane ad opus surrexisti. Si quid bonarum didicisti rerum. Si bonis operam nauasti.

Luxuriam & helluationes fugito, inque primis ebrietatem. Neque enim tantum senectus bis pueros, vt dicitur, facit, sed etiam & multo quidem magis vinum. Nec parum rectè ebrium comparaueris equo, ruptis habenis incerto cursu erranti: Submersa enim ratione & mente nihil potest nisi indecens vesanumque in dictis ac factis existere.

Superbiã cohibeto, neq; minus caue ne deficiaris animo, in qua humilitate multi ipsi se immerito infelicitatis condemnauere. Satius esse putain mouendis rebus quàm gerendis properare.

Occasiones obserua. Quidquid suo tempore non fit, reprehendendum est.

Reges principesq; ac magistratus omni ueneratione colito. His enim status rerum humanarum saluis durat, qui poenas infligant fontibus, tucantur innocentes.

His & horum similibus optimis præceptis Aesopus

fopus non cessabat filium suum quotidie instruere. At ille non modò non melior inde fiebat, sed multò etiam deterior. Nulla autem hoc efficere ratio aut doctrina potest, vt expertes omnis bonitatis naturæ & ingenij perducatur ad decus, mansuetudinem, humanitatem, aut artibus erudiat. Vereq; dixit ille apud Euripidem: Nullam esse inuentam scientiam, cum innumerabiles extarent, quæ hoc efficere posset, vt saperet quibus mens non inesset. Quemadmodum enim, si cum aceto suauissimum vinum confundas, accedit hoc statim, & amittit dulcedinem suam: ita peruersæ naturæ, quidquid bonorum præceptorum accepere, statim corrumpunt, inq; similem sui sensum conuertunt. Viderunt hoc sapientissimi philosophi Pythagorici, quorum inter alia hoc quoque fertur: Cibum in matellam non reponendum. Id certè significat, bona & salutaria præcepta virtutis non committenda improbis. Iam ver appropinquabat: at Aesopus accingebatur ad turris ædificationem in aëre, vt Aegyptius postularet. Et est quidem admodum futile, quod hoc loco memorari comperio: Mansuefactis aquilis illum appendisse arculas, in quibus pueri cum fabrilibus instrumentis collocati, à subuolantibus aquilis in sublime ferrentur, atque ita cum in Aegyptum peruenisset, indicasse, si administri lapidum ac materiæ designarentur, adesse qui petitam turrim extruerent, atque ita constituo in loco & tempore emisisse aquilas: Quibus altum petentibus, prospexisse pueros, & lapides & materiam clamasse. Tum quidem Amasidem ad-

admiratum, de Aesopo quæsiisse adiiciunt, num
 Babylone homines volatici reperirentur. Cui il-
 le responderit: Lyceri subditorum hanc mini-
 mam esse laudem. Hæc, vt dixi, quamuis inepta
 viderentur, placuit tamen perstringere. Sed vbi
 est, inquit Amasis, ille, qui ad interrogata respō-
 deat? Non longè abest, inquit, Aesopus. Accerfi-
 uerat autem rex vndique omnes sapientia cla-
 ros. Vbi igitur confedere, quæsiuit vnus, plus ne
 esse viuorum an mortuorum? Tum Aesopus: Vi-
 uorum, inquit, mortui enim nihil sunt. At alius:
 In marine, an terra maiora animalia degerent?
 In terra, inquit ille. Namque huius mare est por-
 tio. Ibi alius: Dic mihi, inquit, Animantium o-
 mnium quodnam tibi callidissimum videtur?
 Quod adhuc ignotum, inquit ille, hominum in-
 dultriam euasit: Tum alius: Prior ne dies fuit, an
 nox? Dies, inquit Aesopus, prior, vno quidē die.
 Tum alius etiam: Viginti, inquit, plaustra ligni
 quantum fumi possunt emittere? Facile id qui-
 dem, inquit ille, dictu est. Nam si cineres de com-
 bustis lignis subtraxeris, quidquid reliquum fu-
 erit, pro fumo ponendum. Atque his dictis addi-
 dit quæstionum intricatarum similes responsio-
 nes esse debere. Tum alij admissi fuere. Quorum
 vnus: Sæpè, inquit, audiui, nihil ferro esse robu-
 stius, quo quidem omnia labefieri possent: sed
 mihi in mentem venit, fabrum robustiorem esse,
 qui ferrum subigeret & excuderet. Quid verò tu
 censeres? Egone, inquit ille? fabri etiam matrem
 robustiorem putandam, quæ quidem domito-
 rum ferri gestauerit. Post hunc alius ænigma ver-
 sibus

D

sibus

sibus proposuit in talem modum :
 Res vna in pelago & telluris in omnibus oris
 Nascitur, ac oriens est maxima deficiensq;
 In medio vitæ nimium quam parua vigore.

Aesopus statim subiecit:

Mane cadit crescens & vespere grandior vmbra,
 Atque ibi alius nominare iussit animalia, quæ
 in cælo, terra mariq; eadem inuenirentur: Aesopus nihil cunctatus, canem, coruum, serpentē-
 que nominavit. Nam & canes & serpentes &
 corui sunt in mari quoque & inter sidera notan-
 tur. Tum ænigma aliud versibus tale ob-
 iecit:

Est genitor natos qui bis sex procreat vnus,
 Quorum sunt etiam natæ vnicuiq; triginta,
 Albæ aliæ, nigræq; aliæ, quæ morte carentes
 Perpetua vice delentur pereuntq; ruina.

Aesopus & ipse versu respondit:

Mensem annus edit, ille noctes & dies,

Ibi mox alius :

Sunt geminæ (inquit) inter se iunctissima turbæ
 sorores

Altera nec tamen alterius vultū aspicit vnquā,
 Hæc q; illā genuit postq;, hanc parit illa vicissim.

Ad hæc respondit Aesopus:

Patris hæc profectò neptes sunt prius q; dictus est.

Tum alius:

Quid, inquit, iuuenta ætate fixum graueq; est, se-
 necia tam leue, vt supra etiam terram volitet?
 Aesopus respondit, floccos esse euanidorum flo-
 rum. Mox alius, conijciendum Aesopo, quid si-
 gnificarent versus qui sequuntur, proposuit:

Fri-

V I T A . 7

Frigore digredior, redeunte calore reuertor,
Desero quod peperī, hoc tñ educat altera mater.
Quid ribi vis aliud dicam? me vox mea prodit.

Cui Aesopus:

Exemplum cuculus prauorum dicitur à te.

Alius tum deinde hæc proposuit:

Non habeo nec habere velim, quod si tamē assit
Non caream, Cræsi si mihi dentur opes.

Ad hæc ille:

Vno oculo haud velles. multò cæcus minus esse.

Alius quæsiuit:

Quid est quod euenire sibi cuncti expetunt,
Si nunc tamen detur parandi copia
Nemo esse meretur sibi in præsentia.

Quod ita Aesopus explicuit:

Effici senes auemus. facti vbi sumus piget.

Alius rursus proposuit:

Exigua me condo domo semperq; patente,

Non metuo fures, alijs sed furta timori

Sunt mea, tota mihi nam furto degitur ætas,

Nomē scire cupis numeri tres dant mihi nomē,

Quadraginta horū est centum & bis summa qua-

terque.

Aesopus murem significari dixit. Hæc autem, in-

telligendū, græco sermone pronūtiata fuisse, &

μῦς græcis habet μ. 40. ν. 400. ϑ. 200.

Alius item hoc:

(scor,

Nec sum, nec non sum, morior simul atq; rena-

Præbet & inretitus teneræ primordia vitæ,

Sumq; mihi leti & redeuntis originis auctor.

Aesopus statim phœnicem auem esse dixit.

Post hos & huiusmodi alios multos sermones,

fateri coactus Amasis, se suosq; Aesopi sapientia victos, atq; deberi praemia & laudationes Lycero, Aesopum cum ingenti gloria ad Lycerum remisit. Atq; ille, cum Babylone aliquandiu fuisset, magna coepit incendi cupiditate reuisenda Graecia. Requirebat enim animo suo doctissimorum hominum consuetudinem, qua quondam ibi esset vsus, & gentis humanitate & mansuetudine inuitabatur. Quare impetrata à Rege copia proficiscendi, ea tamen lege, vt Babylonem primo quoq; tempore repeteret, traiecit in Graeciam, ciuitatesq; illius gratissimo itinere pertransiens, quidquid ubiq; audierat doctorum & sapientum esse, ad eos se conferebat, talemq; se praebat, qui singularem relinqueret omnibus sapientiae suae opinionem.

Peragrata autem penè vniuersa Graecia, venit & Delphos, siue vt oraculum consuleret, siue ratus illos quasi familiares Dei, reliquis facile antecire sapientia. Erat autem illius loci fama per vetus, quae iam totum fermè orbem terrarum peruaferat, veritate & certissima fide praedictionum & fatorum celebris, quae Apollo canere putabatur. Itaque hoc potissimum Cræsus, qui paulò post hæc tempora bellum Cyro intulit, traditur vsus, cum quidem prius periculum ipsius fecisset, vt scribit Herodotus, prorsus ridiculum. Nam quos legarat ad consulendum Deum, ijs horam diemq; qua interrogarent praefinierat, erat autè mandata interrogatio: Quid rex Cræsus tum rerum ageret? Ipse verò illo tempore in regiam se abdens, aëno coniecto impositas carnes agni &

testu-

testudinis coquebat. Ibi ferunt sacerdotem Apollinis hæc respondisse Lydis:

Ast ego littoribus sparsæ numerum scio arenæ,
Mensuramq; maris, vocemq; intelligo muti.

Audio dicentem nihil. Et nunc tangor odor
Cortice munitæ dura testudinis, agni

Inter quæ carnes in operto ebullit aëno
Aes vbi adimposito substrato amicitur ab ære.

Tanta igitur de fama, insignes pietate & sapientia Delphos esse, ille arbitrabatur. Cæterum cum illò aduenisset, secus rem habere se comperit. Nam & superbos & lucri cupidos, & contemptores eos cognouit. Quod quidem ipse ægrè ferens, illorum vitia tali similitudine notauit: Delphos ita esse vt sarmæta, quæ in mari procul fluitarent, & stantibus in litore speciem aliquam non contemnendæ rei præberent: at vbi appropinquassent, tum proderent futilitatem suam: Et Delphos quidem absentibus quantiuis precij videri, sibi verò, qui ad ipsos accessisset, diuersum esse compertum. His sermonibus mirum in modum Delphorum principes offendebantur, incensi indignatione & ira, simul etiam metuentes, ne apud exteros Aesopi insectationibus existimatio sua deterretur. Quare cõstituere medio tollere, & vita illum priuare, se liberare cura. Sed quia occultè se illum necare non facilè posse intelligebant, & quod contumeliosa morte afficere cuperent, vt iure hoc facere videretur, submersere, qui paranti abitionem in sarcinas pateram auream implicaret. Quo factò, illum ignarum, omnium, & iam oppidum egressum, de quæ monte

D 3

descen-

descendente, Delphorum lictores consecuti,
 vt facilegum arripiunt, & in oppidum retrahunt.
 Neganteque illo, & insanire eos dicente, sarcina
 discinduntur, inque ijs inuenta patera popu-
 lo ostenditur. ipse inter defensiones suas in car-
 cerem compingitur. Postero die productus, post
 accuratam refutationem obiecti criminis, nihilo
 secius sententia capitis condemnatur, poena con-
 stituta, vt de saxo praecipitaretur. Aesopus ma-
 gnopere ab illis contendit, dicentem pro se ta-
 men vt audire vellent; quo concessio, hanc illis
 fabulam narrauit: Mus ranam inuitarat, cumque
 illam in plenum repletum vario genere escarum
 introduxisset: Mi ranuncule, inquit, pascere hi-
 lariter, & exple te praesentibus bonis: nihil enim
 arbitror te desideraturum omnium, quae gula a-
 pta habeantur. Rana inuidens tantam felicitate-
 tem muri, quem videret in delicijs summis quo-
 tidie viuere, cum ipsa in limo tabesceret, cupiens
 illum perdere, gratum simulat animum verbis,
 muremque vicissim ad sese inuitat, sed non, in-
 quit, pari apparatu te excipiam, nostras tamen e-
 tiam opes qualescunque volo spectes. Ceterum,
 quia, tibi in aquis versari insuetum est, ne quo
 aberres, filo tuum meumque calcem alligabo,
 atque ita domum nostram deducam. Placebat
 consilium stolido, adque ranam annectebatur:
 Quae in paludem desiliens, & profundum petens,
 illum miserum & sero sapientem sub undas pe-
 riturum vna trahebat. Qui cum cerneret se suf-
 focandum: Ego quidem, inquit, tam indignam
 mortem vlcisci non potero, hoc tamen scio, vl-
 toro

fore me non cariturum. Rana eo sermone nihil mouebatur. Post breue tempus, supra aquas mutem natantem miluius videt, quem dum in cibum sibi aufert, pendentem inde etiam ranam attrahi, & viuum post murem dilaniat. Atque ego, inquit, Aesopus, quomodo vlcisci me possim, non video, sed hoc scio, non futuram mortem meam inultam. Nilil mouebantur Delphi his sermonibus, lictoriq̄ue vt iussa peragant. Ibi Aesopus elapsus de manibus illorum, in aram, quae propè posita erat, confugit, sperans se religione loci defensum iri. Sed ne sic quidem Delphi inceptum persequi destitere, negantes perfugium deorum posse habere eum, qui illorum fama compilasset. Tum Aesopus hanc illis fabulam narrauit: Lepus aquilam fugiens, forte ad cespitem defertur, vbi scarabeus incubabat, eum vt seruaret miserum & inopem orat. Scarabeus procedit ad aquilam, vtq̄ue supplicii sibi leporei parcat, obtestatur per Iouem deosq̄ue omnes, monetq̄ue vt prouideat, ne contemptu suae exiguitatis propriaq̄ue superbia, aliquod inopinatum malum ruat. Nilil aquilae his sermonibus magis ridiculum fieri potuisse visum, itaque alae vnius fabris refutato scarabeo leporem aufert ac dilaniat. Tulit eam despectionem sui & aquilae ferocitatem perindignè scarabeus, & tota mente in vindictae curam incubuit. Cumq̄ue secutus auolantem aquilam, quo loco ille nidum fixisset, ipsumq̄ue plenum ouis cognouisset, operitur dum ad partem aquila de nido auolaret, tum omni vi ipse

intercè annitens, oua de nido deuoluit, quæ per
 altissimas rupes delabentia, facile comminuun-
 tur. Reuersa aquila, detrimentoq; ac damno co-
 gnito, ignara quo auctore accepisset, in multo
 magis arduis rupibus nidificat, sed simili euen-
 tu. Itaque inops consilij, ad summum Iouem, cui
 quasi armigera esset consiliata, subuolat, quæri-
 turq; calamitatem suam, & auxilium implorat.
 At tu, inquit ille, in gremio meo oua parito &
 composito, quo quidem in loco, vt opinor, tuta
 erunt. Obseruabat scarabeus sedulo hostem, si-
 mul vt è dolore illius voluptatem caperet, simul
 vt quid ageret specularetur. Aduersus igitur huc
 receptum Iouis tale machinatur: pilam luto ster-
 coreq; conglobatam, quantam sustinere potue-
 rat, superne in gremium Iouis deiicit: Iupiter of-
 fensus foetore & sordibus, festinat è gremio ster-
 quilinium excutere, ita simul oua laxata veste
 prouoluntur. Aderat aquila, doloreq; & despe-
 ratione, si neque in Iouis genibus tuto oua depo-
 nere liceret, exanimata, videbatur omnem spem
 propagandi generis sui abiectura. At Iupiter mi-
 rari, & aliquod insigne esse scelus dicere, quod
 illam exagitaret. Ibi suppliciter ad pedes Iouis
 scarabeus prouolitans, & leporis suamque iniu-
 riam questus, contemptus ipsorum deorum atq;
 adeo summi Iouis aquilam accusauit. Iupiter re-
 cognita damnauit quamuis dilectam sibi auem:
 Ne tamen genus ipsius deleretur, cum iustas ini-
 micitias & bellum gerere scarabeum censeret,
 statuit, vt aquila eo anni tēpore, quo scacarabei
 sernerentur, nunquam oua pareret, pullosue e-
 ducc-

duceret. Neque vos, inquit, aram profanate, De-
 osque veremini, vindices scelerum. Vix finierat,
 cum illum iussu magistratus lictores ab ara cru-
 deliter abripiunt, inque rupem vnde deiceretur
 deducunt. Aesopus cernens, neq; in sua innocen-
 tia neque Deorum perfugio se opem inuenire,
 sibiq; haud dubie moriendum, fraude & vi cir-
 cumuento, priusquam deturbaretur de saxo, fa-
 bula huiusmodi in illos est inuectus: Rusticus in
 agro consenuerat, neq; vnquam viderat urbem.
 Qui sentiens se morti proximum, suos orauit, vt
 in urbem, antequam vitam finiret, curarent se
 deportandum. Illi non magnopere de sene soli-
 citi asinos ad plaustrum adiungunt, quo in urbem
 veheretur. Erat illis via trita in urbem & nota,
 sed forte dum in itinere essent, tempestas venti-
 coorti depulerunt a via asinos, qui illa caligine
 in praecipitia deferuntur. Ibi rusticus videns quo
 in loco res esset: Me miserum, inquit, si violen-
 ter pereundum mihi omnino fuit, quod non p-
 dunt me aliqua generosa animantes, ac potius
 ignauissima asini bestia. Ita, vtinam, inquit Aeso-
 pus, cum pereundum esse videam, perirem qui-
 dem, sed non perderet me tam futilis & ab om-
 ni bonitate aliena hominum natio. Nunc vero,
 quod reliquum est, deos oro ne innocentis indi-
 gnam necem inultam esse patiantur, utq; osten-
 dant vindicta & animaduersione sua, facta scele-
 rata & facinora mala sibi non placere: id quod
 futurum esse mihi plane persuadeo. Hac locu-
 tum & insuper parantem alia dicere, irruentes
 Delphi, de rupe, vbi Diphiriadum petrarum nome-
 nis fuis-

fuisse monti traditur, deturbant, atque ille præceps delatus, fracta ceruice interiit. Non longo tempore post hæc, Delphi omni genere calamitatum opprimebantur, grassante in illos cum pestilentia tum fame, & omnibus ijs malis, quibus homines ac bestiaæ atque etiam sata & arbores affligi intermiq̃ue solent. Quapropter facti, illos vehementer pœnitere, sed ferò, & afficere summus dolor, quem capiebant ob perpetratum, iræ & odij impulsione & impotentia animi nefarium facinus, utq̃ue solent homines leues ac imperiti, quàm cupidi fuerant mortis Aesopi, & interficiendum eum festinarant, tam vitam illius interempti expetere, & si fieri posset, in hanc ipsum quocunque modo reuocare vellet. Fertur & hoc, obuersatam fuisse Delphis terribilem quandam veluti manum Aesopi speciem, qua dies atque noctes exagitarentur, conscientia scelerum hanc imaginem sibi fingente, vel etiam diuinitus illa excitata. Ex eo autem fama sparsa fuit, Aesopum reuixisse, atque hunc à Dijs immortalibus honorem habitum sapientiaæ & pietati illius, quod & de Hercule & Glauco & Alcestide fabulæ tradidere. Sed Delphi cum diutius in Deorum atque hominum odio, quòd cœlum terramq̃ue infestam haberent, durare se posse non confiderent, Apollinem familiare sibi numen, interrogarunt, quid se, ut tantis & tam intolerabilibus miserijs liberari possent, facere oporteret? Quibus ille respondit: Luendum esse innocentis sanguinem & pœnas dandas impij paricidij. Atque tum, ut diximus,

rimus, Iadmon Samius has nomine Aesopi tandem expetiuit, & Delphis melius est factum.

Atque hæc sunt, quæ passim de Aesopo tradita reperimus, & referenda putauimus, rati neque utilitate lectionis expertia futura, & iucunditatem nonnullam habitura esse. Quod autem de morte Aesopi traditum commemorauimus, id videri posset translatum huc de Orgilai cuiusdam, Phallidis filij, interitu, cui cum Crates primarius ciuis Delphis, vt Plutarchus scripsit, suam filiam despondisset, inter sacramentæ, cum suo more Dijs libarent, suaque sponte crater medius discessisset, Orgilaus malum o-minatus, sponsa deferta, vna cum patre in volnertarium exilium abiit. Paulò post, cum ad sacrificium quoddam solempne Delphos redijissent, Crates, qui illorum discessione se suosque contumelia affectos fuisse arbitraretur, odio flagrans, facientibus rem diuinam, nescio quid auri consecrati deo, obtrusit, atque accusatos sacrilegij, curauit de rupe indemnatos præcipitandos. Necessarios autem quosdam illorum, qui supplices in adem Prouidentia confugissent, direptos de ara & illos iugulauit. Idem tamen Plutarchus de Aesopo hæc, quæ deinceps exponam, scripta reliquit in eo libello, in quo disputatur de vltione numinis lentiore. Delphos, inquit, venisse quondam è Lydia Aesopum accepimus, cum quidam illo à Cræso missus fuisset ad solemnia quædam sacrificia celebranda, cum magno pondere auri, quod & rem diuinam Rex sumptuose ar-

que

que magnificè fieri vellet, & quo clarior fama esset cùm religionis tum munificentia suæ iussisset singulis ciuibus vrbs Delphicæ à se tribui minas quaternas, quæ summa fuerit nummi Romani, M. sexcenti sestertij, & nostratis, coronati quadraginta. Cum autem, vt apparet, offensiones & inimicitia inter Aesopum ac Delphos exortæ essent, sacrificium quidem ille peregit, pecuniam vero non distribuit, sed remisit Sardis, quod indignos eos Regio beneficio iudicaret. At Delphi, consilio inuito, crimen Aesopo sacrilegij intenderunt, & morti addictum de rupe, quæ cognominatur Hyampea, præcipitem dederunt. Ob hoc factum Numen ipsis iratum, cùm sterilitatem terræ, tum multiplices inusitati modi languores ac morbos immisisse ferunt, tandemque magnitudine & copia malorum coactos fuisse, vt in Græcia ad omnes conuentus ac mercatus profiterentur delictum suum, & inuitarent persecutores cædis Aesopi, illisq; pœnas à se offerrent. Anno autem fermè centesimo, Iadmon Samius has expetiuit, genere quidem non propinquus interfecto, sed posteritas eorum, quibus ille quondam seruiisset. Quas cum persoluissent Delphi, mala postea cessauerunt. Atq; ab eo tempore putatur supplicium sacrilegorum ab Hyampea ad Naupliam rupem translatum fuisse. Sunt, qui Amphictyonas, seuerissimè habita quaestione, in auctores cædis Aesopi animaduertisse, de quæ ijs vniuersis capitis supplicia sumpsisse scripserint. De quo & prouerbum natum videtur: αἰσώπειοι ἄμα. & αἰσώπειοι δίκη, quo vel se-
ra-

has pœnas dare fontes significaretur. Sanè fabu-
la, quas Aesopus composuisse existimaretur, ma-
gno semper in precio & admiratione apud sapi-
entes homines fuere. Itaque legimus, scribitque
hoc Plato, Socratem, qui sapientissimus habitus
fuit, cœpisse illas versibus exponere. Quorum
quidem primi hi fuisse perhibentur:

Aesopus ciues fertur monuisse Corinthi,
Ne decus è vulgi calliditate probent.

Non autem dubium est, quin nequaquam om-
nium illarum, quæ sub ipsius nomine circumfe-
runtur, auctor sit Aesopus, & quin posteriores, se-
cuti Aesopum, multas earum cōscripserint. Ne-
que est obscurum, omnes huius generis fabulas
Aesopicas appellari, de qua re alibi copiosius dis-
seruimus. Etsi autem scio, à quibusdam certo nu-
mero comprehensas eas fabulas, de quibus quin
factæ ab Aesopo essent non dubitaretur, fecisse-
que alios duodecim, alios etiam plures, cū qui-
dem discrimen certum fieri non posse videatur,
non solum tamen eas nos, quæ essent à priorib.
conquisitæ, sed quascunq; colligere potuimus,
complectentes doctrinam & instructionem vi-
tæ, exponendas oratione æquabili ac latina, si
possemus, putauimus. Bona in spe, futurum, vt
hoc scriptum non nihil adiuuet institutionem
puerilem, & studijs huius ætatis profuit. In quo o-
pinio nostra Græcorum doctissimorum homi-
num exemplo confirmatur, qui inter primordia
doctrinæ fabularum lectionem atq; narrationē
primam esse, & styli exercitationem ab his descri-
bendis voluerunt inchoari. Quamuis aut à no-
bis

bis opera potissimum data sit, vt oratione ea v-
 teremur, in qua esset verborū elegantia aliquid,
 & proprietates figurarum, neq; alius finis propo-
 situs fuerit studio nostro, tamen id etiam nos pre-
 stitisse confidimus, nulla vt forma & species ex-
 positionis bonæ, vel certè mediocris, in his quæ
 subiicimus, desiderari posse videatur. Sed de hoc
 cum alij iudicabūt, tum nos nequaquā laborare o-
 portet, qui nullam ambiuimus hoc opere susce-
 pto laudem, sed operam pueritiæ nauare st udi-
 mus. Atq; illud ita esse, vt dixi, facilè probauerit
 tam exilis argumenti tractatio, cum vt spero, in
 maioribus nota sit industria nostra. Hoc autem si
 consecutus fuero, vt de isto labore fructum capi-
 ant pueri nostri, magnam etiam laudem me ade-
 ptum esse existimabo, qui in hac negligentia il-
 lorum, educatione & disciplina peruersa atque
 sublata, aliquid illis vtilitatis atq; commodi p-
 curauerim & adiuuēta attulerim ad decus atq;
 virtutem, quibus hoc sæculum cum ornatissimū
 esse posset, turpitudine & vitijs infamari malle
 cernimus, & hanc relinquere ad posteros igno-
 miniam, vt infelices & improbi esse potius, q̄ be-
 ati atq; innocentes voluisse videantur.

AQVILA ET VVLPES.

IN IIT quodam tempore societatem Aquila
 cum Vulpæ, quæ vt vsu familiaritatis confirma-
 retur, etiam nidos illis vicinos habere visum. Et
 aquila quidem suum in arbore fixit procera, at
 vulpes propinquas arbusculas occupauit. Accidit
 fortè, vt paruulis suis relictis domi, vulpes ad q̄-

ren-

redum pastū exiret: aquila, cui eo die non fuisset præda oblata, esuriens vna cum pullis suis, arreptos catulos necessariæ vulpis in suum nidum deportat, & illis sese ac suos exsaturat. Reuersa paulo post vulpes, vbi rem gestam cognouit, incredibili dolore affecta fuit; cumq; suorū interitum ferret iniquissimè, tum hoc illam excruciebat, & ita despectam se ab aquila, & vindicandæ tantæ iniuriæ nullam sibi viam apertam esse. Facile enim intelligebat, celeritate illam atque viribus longè præstare. Fecit igitur quod concedebatur, vt obsequeretur animo suo, & propter arborem assistens, maledictis & conuicijs, non magis iam necessariam suam, sed hostem capitalem insectata, Deos ad tam indigni facinoris vltionem aduocauit. Aquila desuper hæc ridere, & illam contemnere. Non diu autem post hæc, cum forte eo in loco feræ essent rusticanæ, & exta matati pecoris adolerentur, aduolauit aquila, vt consueuerat ad exta, quæ dum rapit, adhaesit de fauilla & carbonibus aliquid, quo in nidum vna cum illis delato, & fortè vento exorto, materia qua nidus congestus fuerat flamma concepta exarsit, cumque illa incendio dissiparetur, delapsi sunt & pulli aquile in terram semiusti, quos tum vulpes inspectante aquila in sua dumeta auferens, in magna lætitia vindictæ deuorauit.

FABVLA hæc docet, perfidos & sceleratos quamuis iniurias & vim potentia aliquantisper defendat, numinis tamen animad-

maduersionem & vltionem euadere non
solere: secundum Horatianum hoc:

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

AQVILA ET SCARABEVS.

*Hanc fabulam, etsi illa supra est in historiola Aesopi
exposita, tamen iterum narrare placuit.*



LEPVS, quem aquila insequeretur, ad scarabeï lamulam confugit, & illius auxilium implo-
rauit. Scarabeus petit ab aquila, vt parcat suppli-
ci, perque summum Iouem obtestatur, ne despi-
ciat tenuitatem suam. At illa profligato scarabeo, raptum leporem deuorat. Quam auolãtem
affectatur scarabeus, vt cognosceret, quo illa lo-
co nidificaret, ac mox occasionem nactus, de ni-
do aquilæ omnia oua, quæ inerãt, deuoluit per
petrarum præcipitia. Aquila re comperta, aucto-
ri do-

Æ S O P I C Æ.

65

ri doloris sui valdè irata, nidum exstruit in multo magis arduis rupibus, & in illo parit ova, sed simili euentu. Tum inops consilij, ad Iouem aduolat, cuius propria auis esse perhibetur, & tertiã foetoram in illius gremio deponit, orans atque obsecrans, vt rutam præstaret. At scarabeus glubulum sterquilini eodem deicit. Quem excussurus Iupiter, laxata veste ova aquilæ effundit, quæ inflicta pauimento, secûdum Homerum, æreo, facile comminuuntur. Cum aut de scarabeo intellexisset, quod ab aquila factã iniuriã sibi hac voluisset ratione vindicare, quod statueret, nõ solum scarabeum, sed etiã suũ numen ab aquila læsum atq; violatum esse, reuersam illam grauitè obiurgauit, & indicauit ei auctore malorum, quæ passã esset. Cum tamẽ genus aquilarum funditus interire nollet, scarabeum ad gratiã cum aquila reconciliandam adducere tentat: quo vehementer refragante, aquilæ tum partum transtulit ex eo tempore in aliud, quo scarabei non apparerent.

Monemur hac fabula, ne quem facile contemnamus, utique cogitemus, neminem esse tam abiectum & humilem, qui non suæ iniuriæ vindicandæ aliquam occasionem inuenire possit.

LVSCINA ET ACCIPITER.

CANTANTEM vt consueuerat, ab arbore procerâ lusciniã rapuit esuriens accipiter. Quæ cum intelligeret sibi mortem impendere, ad preces conuersa, orat accipitrem, ne se perdat sine causa. Non enim suam exilitatem auidißimum ventrem illius posse explere, itaque suadere,

E

VL



vt grandiores alias volucres venetur. Cui accipiter, Infanirem, inquit, si partam prædam amittere, & sequi vellem ea, quæ nusquam apparent.

Intelligendum, similiter & homines incogitantes quosdam reperiri, qui spe maiorum præsentem copiam despiciant atque negligant.

VULPES ET HIRCUS.

SITI correpti hircus & vulpes, in profundum puteum defilierunt, cumq; illam sedauissent, hircus cœpit circumspicere & querere, qua de aqua euadere in terram posset. Cui vulpes: Bonum, inquit, animum habe, nam mihi consilium subiit, quo vsi seruari possimus ambo. Si enim te in posteriores pedes erigens, priores parieti isti applicueris, & caput alte, cornua vt oblique reclinentur, extuleris, tum ego de tergo tuo in hac ascendero



dere, atque deinde exilire de puteo, & te mox e-
tiam attrahere facile potero. Ad hæc cum se hir-
cus paratum esse diceret, & obsequentem præbu-
isset, euasit de puteo vulpes, atq; ibi læta circum
fauces exultare, & deridere hircum cœpit. Ille ve-
rò hanc grauitè accusare, & perfidiæ insimula-
re. Cui vulpes illudens: At tu inquit, hirce, si tam
cordatus esses, quàm barbatum esse scimus, nun-
quam in istum te locum, non explorato reditu,
immississes.

*Significatur hæc fabula, viros prudentes, priusquàm
quicquam aggrediantur atque incipiant, præuidere &
considerare, quonam illud euasurum, & quem finem
habiturum esse videatur.*

VVLPES ET LEO.

QVÆ nunquam leonem vulpes viderat, cū
huic



huic fortè occurriſſet, ita fertur exterrita, vt pe-
næ moreretur formidine. Eundem conſpicata i-
terum, extimuit quidem, ſed nequaquã vt dudum,
Tertio illi obuiam facta, tam firmo animo fuit,
vt accedere propius & compellare illũ auderet.

*Oſtendit fabula, etiam grauiffima & difficillima
negotia vſu & conſuetudine tractabilia reddi: emq;
hoc, inopinata omnia vehementius animos perturbare
conſueuiſſe.*

FELIS ET GALLVS GAL- LINACEVS

FELIS, captum Gallum cum vellet videri
iure occidiſſe, accuſare illum cœpit, primum mo-
leſtiæ quam afferret mortalibus, quibus perpe-
tuam noctẽ obſtreperet clamoribus ſuis, & quos
acquieſcere deſatigatos non pateretur. Hoc cum

Gale



Gallus defenderet, quod il'is hac re vtilem se operam dare assereret, qui ad necessaria opera eos excitaret, indicaretq; his faciendis tempus idoneum: Te tamen, inquit felis, nullum aliud est animal magis impudicū, qui naturæ legibus confusis, cum matribus & sororibus te commisces. Hoc ego, inquit Gallus, studio inferuio rebus & commodis heri mei, quo plura huic ova pariantur. Cum igitur nullum posset afferre crimen felis, quod in gallo adhæresceret: Tu licet, inquit, causa non inferior esse videare, mihi tamen esurire in animo non est, atq; illum iugulat.

Imago hæc est superbiæ atque crudelitatis. Hæc enim vitia, quidquid dicatur aut fiat, iniustus vix urgent, quamuis prætexere siquid forte possint facinoribus suis, non omittant.

VVLPECVLAE.



ELAPSA vulpes de laqueo, sed mutila, nam caudam amiserat, non viuendum in tanta deformitate sibi esse existimans, coepit in commune suadere omnibus, vt & ipse praecidi cauda sibi parerentur: cupiebat enim in turba & societate turpitudinis suum vitium quasi occultare. Quid enim, inquit, has & indecoras, & superuacaneum onus gestamus, vel potius attrahentes defatigamur? Aut cuinam, obsecro, rei vtilis sunt, nisi forte verrendum solum conduximus? Parantem dicere plura, vna de multitudine iuuenicula fertur interpellasse his verbis: Heus tu, mea matercula, num fueras hoc suatura etiam, si non tibi emolumento futurum esse sperares?

Significat fabula, neque aliorum commoda delibe-

Æ S O P I C Æ.

72

rationib. malorū proposita esse, neq; libenter homines
ea consilia admittere, quæ non eorum, quibus dantur,
commoda spectare atque procurare videantur.

VVLPE ET SENTES.



INSILIERAT fortè in spinosas vepres vul-
pecula, cumq̄ue laboretur, sentes apprehendit,
in quibus inniteretur, ab his fauciata, cum cruen-
tis pedibus & magno dolore: Siccine, inquit, sce-
leratæ sentes, accipitis supplicem vestram? Cui
sentes responderunt, valde eam deceptam fuis-
se, quæ vellet sese apprehendere, cum ipse appre-
hendere & retinere alia omnia consueuissent.

Ostendit fabula, stultè facere eos, qui opem & auxi-
lium ab illis sperent, quibus insita sit malefaciendi &
iniuriarum voluntas.

E 4

VVL-



CROCODILVS Ægyptiacū est animal, tetrum aspectu, atq; monstrosū, specie lacertæ, cute rugis & squamis horrida, vastū atq; informe. Inter hunc & vulpem quodam tempore certamen de generis nobilitate extitisse narrant. Cum autē crocodilus & maiorum suorum multa præclara facinora, & à se fortiter res gestas prædicatione sua extolleret, respondit vulpes: Nihil opus esse verbis, nam de pelle apparere omnia.

Hæc fabula innuit: Mendaces ipsa re solere coargui
 ¶ *resutari* GAL.

Æ S O P I C Æ.
GALLINAE ET PERDIX.

79



QVI delectabatur alendis gallinis, allatam sibi forte perdicem addidit ad cohortem illarum. Quæ cum miseram morsibus impeterent, & ab eâ sca repellerent, singulari illa dolore animi afficiebatur, quod sibi hoc, quæ aliena esset, eoque illis nomine inuisa, accidere putaret. Paulò post videt ipsas quoque illas se mutuò conscindere, tum se consolata: Si inter se, inquit, istæ inimicitias gerunt, neq; parcunt sibi, ferenda scilicet & mihi æquo animo fortuna mea.

Hæc fabula sibi vult prudentibus magno esse solatio considerationem communis sortis, & conditionis, cum animaduertunt, neminem esse, cui non mala & aduersa plurima obijciantur. Eosdem libenter etiam cõparare sua mala cū aliorum malis, qui respectus se penumero opinionẽ magnitudinis his adimere solet.

Æ 5

VVL

V V L P E S.



IN statuarij officinam irreperat vulpecula, ac contemplando diuersi generis & varia forme effigies, magnam voluptatem capiebat. Inter omnes tamen vna muliebris corporis statua imprimis illam delectabat, ad quam & accedere, & sermonem instituere, & bladiissime alludere. Sed statua immobili persistente, vulpes indignata: Quam formosa, inquit, facies, cerebro caret.

Notantur hac fabula splendidi & conspicui, cum corpore tum fortunis, sed stolidi & vecordes.

C A R B O N A R I V S E T F V L L O .

CONDVXERAT perquam spaciosas edes carbonarius, itaq; inuitat fullionem habitantem angustius, ad se vti commigret. Negauit fullo sibi hoc faciendum, neque fieri omnino operere: Quid

Quid enim nobis commercij, inquit, inter nos esse possit, cū, quæ ego fortè eluendo nitida reddidissē, ea tu fuligine & maculis repleres?

Docet fabula, dissimilia non rectè coniungi. Itaque dicitur & prouerbio veteri, Pares cum paribus facile congregari.

PISCATORES.



D. V M extrahunt nassam de aquis piscatores, grauiissimum pondus esse illius sentiunt. Quare lætitia exultare, & felici euentu immodicè gaudere.

edere, quòd opera præclarè posita videretur. Sed nassa subducta in terram, conspiciantur ingens saxum, quo illa depressa fuerat. Ergo mutatis animis, contristari atq; mœrere, neq; minus doloris capere ob falsitatem opinionis, & ludibrium fortunæ, quam incommodum suum. Tum vnus inter eos senior obiurgare eos, & dicere: Non nimis indignè ferendum casum illum, quòd con sanguineam habere gaudium videretur, tristitiam. Itaq; vix aliter potuisse fieri, quàm vt illius tanto complexu etiã hanc assumerent.

Vtrunque fabula monet, non prius lætandum, quã explorata fortuna, neque tamen tristiores exitus non etiã moderatè ferendos esse.

GLORIATOR.

REVERSVS in patriam suam quidam vnde aliquot annis abfuerat, in omnibus cœtibus gloriabatur, & iactabat sermone præclara facinora sua: atq; se in insula Rhodo saltando signum fixisse, quod nemo omnium qui adessent assequi potuisset. Huius se habere testes vniuersos Rhodienses aiebat. Tum vnus de circulo: Heus tu, inquit, si vera prædicas, hoc esse loco Rhodū puta, & hic saltum istum edito.

Fabula hæc subiicit, quod & Demosthenes dicit, vanam esse orationem omnẽ, quæ rebus deficiatur. Proverbium autem hoc vsurparunt veteres in ostentationibus gloriosorum retundendis, vt sic illos increparët: Hic Rhodus, hic saltatio.

VOTVM QVOD SOLVI NON,
POSSET.

ÆGROTABAT pauper, & in morbi grauis-
simo periculo cum à Medicis desperasset, ad opẽ
Deorum confugit, quibus se, si conualuisset, cer-
tum tauros imolaturum esse promisit. Hæc vxor
illius, vt propè astabat, cū audisset: Vnde mi vir,
tantū, inquit, numerū taurorū parare possis, si vo-
ti conuictus sis? At ille: Quid tu, censen, inquit,
stulta, cœlo descensurum, qui illud sacrificium
fieri postulet, si ego sanitatem recuperauero?

*Significatur, esse multos in pollicēdo faciles, qui etiã
promittere ea soleāt, q̄ non velint neq; cogitēt facere.*

DE APOLLINIS TEN-
TATORE.

TENTATURVS Apollinem, Deorum qui-
dam cōtempor & callidus, per sacerdotem fati-
dicam illius, in templum venit Dei, vbi omnia
ritu superstitionis illius apparata essent, occul-
tatum manu sua passerulum continens, cumq;
ante cortinā, quem τριπόδα Græci vocarūt, asti-
tisset, sciscitatus est: Viueret ne an mortuū esset,
quidquid in manu teneret, rat⁹ se facile in vtran-
que partem datum responsum refutaturum esse.
Tum vates de numinis indistinctu hæc fertur ce-
cinisse.

Quicquid id est testū tua qđ nunc dextera cęlat,
vel viuit, vel iam moritur, nostriq; videbunt
Alterutrum in prolato oculi, sed te penes huius
Arbitrium facti est, & ad hoc mens nostra recur-
rit.

Di-

*Discendum hoc est: In rebus diuinis maximè, sed
& erga sapientes non ferè quicquam valere fraudes
& astutias improborum.*

PISCATORES.

CVM piscatores diu multumq; defatigati, nihil capere potuissent, tædio tandem affecti, per-
dita opera, tristes domum redire parant. Tum dè
improviso Thunnus à reliquis piscibus agiratus,
saltu in nauigium illorum se dedit, quo potit
cum præda & lætitia abiere.

*Indicat fabula, sæpenumerò forte fortuna obuenire
ea, quæ nulla arte ac ratione parari potuerint.*

FRAVDVLENTIVS.

PERICVLOSE ægrotans pauper vouit, cæ-
rum se bobus rem diuinam Dijs facturum esse,
conualuisset. Dijs illum, fide habita, sanitati pri-
stina restituerunt. At ipse confirmatus pannuce-
os boues centum finxit, & Dijs immolauit. Quæ-
rè cū indignè tulissent Dijs, exacturi pœnas perfidi-
e, immisere illi somnium, quo iuberetur in cer-
to loco littoris terram effodere, quòd ibi inuen-
turus esset 400. M. nummum, id est mille Atti-
cas minas. Quo cum expergefactus, cupi dè perre-
xisset, & aurum quæreret, captus à Piratis fuit. At
ille similiter, vt deos antea, & hos fallere ten-
tans, pollicetur pro suo corpore talenta mille,
immanem pecuniæ summam. Nam nostratis nū-
mi hæc fuerit circiter sexingentorum M. aureū
coronatorum. Sed cum huic illi minime crede-
rēt, abductus & mille denarijs venundatus fuit.

*Fabula docet, mendacia, mendacesq; homines Dijs
esse inuisos.*

R A

R A N A E.

INCOLEBANT ranunculi duo paludem,
 qua syderis calore, vt æstate fieri solet, exiccata,
 relictis sedibus illis pergebant quæsitum alias.
 Cumq; venissent ad profundum puteum: Hic,
 inquit vnus, commodè manebimus, neque faci-
 le alium locum meliorem inuenire poterimus.
 Cui respondet alter: Placere & sibi locum, sed
 arbitrari se, prius quam illò desilirent confide-
 randum, si quo casu & illæ aquæ recessissent, qua
 ratione de puteo redituri essent.

*Docemur hac fabella nihil esse omnium rerum im-
 prudenter aggrediendum, sed vt dici solet, in principij
 capite, quasi pedes finis contemplari vnumquenque
 debere.*

DE SENE ET MORTE.



CECIDERAT ligna in sylua senex, quorū
 fasce sublato domū redire cœpit. Progressus au-

tcad

tem multum sanè viæ, cum defatigatus esset, & onere & itinere, deposito lignatu, acquiescens considerare ipse secum ætatis, inopiæ, solitudinis miseras, & clara voce inuocare mortem, cuius auxilio facilè liberari se ab omnibus malis posse diceret. Tum mors exauditis precibus illi, coram assistens, quid velit percontatur. At senex territus, & quæ iam mortis pigeret: Nihil enim, inquit, sed requiro aliquem qui onus paululum alleuet, dum ego rursus subeo.

Docet fabula, ad præsentiam mortis omnes refugere, neque quidquam esse tãti doloris aut cruciatu, quod vitæ dulcedinem diluere possit, vereque Creò apud Sophoclem ait:

Fugiunt & audaces retro, postquam propè Vitam in suam grassarier mortem vident.

DE ANV LABORANTE EX OCVLIS.

LABORANS anus ex oculis accersit medicum, mercedemq; pactam vt sanitate recepta demum persolueret, conuenit. Medicus orsus curationem, quotidie collyrio oculus pelluebat, & supinam in lectulo cum iunxisset, in tenebris iacentem relinquebat, asportans ipse secum quidquid forte reperisset suppellectilis, siue vasculum seu vestimentum mulieris. Quæ cum animaduertet se spoliari, & iam recuperato visu cerneret vacuam relictam domum sibi, postquam accessit medicus, mercedem postulans promissam (nam & esse illam sanam, & se iudicium nullorū, quibus notus fuisset morbus ipsius, defugere aiebat) Nō est

est ita, inquit, medice. Nam priusquam tuæ artis fortunam subirem, cōspicabar passim copiosam domi meæ supellectilem: Nunc verò sana, vt ais, nihil prorsus video.

Significatur hac fabula, improbos & veteratores ipsos nonnunquam suis dolis implicari & ledi.

R V S T I C V S E T F I L I I
I L L I V S.



R V S T I C V S vicinus morti cum relinquere filijs suis diuitias non posset, voluit excitare animos illorum ad studium diligentius culturae, & in opere faciundo assiduitatem: Accersit igitur illos ad se, atque ita loquitur: Mei filij, quo in loco res meæ sint videtis. Vobis autem quidquid potui in mea vita comparisi, idque totum in vinea nostra quærere poteritis. Hæc cum dixisset paulò post moritur senex. At filij, quod crederent

F

derent

derent in vinea illum thesaurum alicubi abscondisse, arreptis ligonibus solum vineæ vniuersum effodiunt, ac thesaurum quidem inuenere nullum, terra tamen fodiendo perculta, vites vberimum fructum tulere.

Docet fabula, labores & operas summas diuitias esse. Et est Epicharmeæ sententia, labore à Dijs hominibus bona venire.

HERVS ET CANES.



IN prædio sub vrbe quidem tempestate inclusus primum ouibus maētatis vitam sustentauit, mox durante illa, ne à bobus quidem aratoribus abstinuit. Quæ cum canes fieri viderent, consiliū inter se aufugiendi illinc inierunt, quod nō sperare posse viderentur, ibi locorum se tutos futuros, vbi bobus aratoribus non parceretur.

Æ S O P I C Æ.

83

Monet fabula, illos fugiendos imprimis, apud quos
ne domestici quidē & necessarij in tuto esse videātur.

MVLIER ET GALLINA.



MVLIER vidua gallinam habebat, quæ sin-
gulis diebus ouum vnum pariebat, quæ si cura-
ret diligentius & saginaret gallinam, sperandum
esse existimabat, vt bina aut terna illa quotidie
oua pareret. Cum autem cibo superfluo opima
gallina & pinguis facta esset, planè tum parere
oua desijt.

Ostendit fabula cupiditatem & auaritiam sæpe de-
trimentosam esse.

VVLNERATVS A CANE.

QVEM canis momorderat circumiens medi-
cum quarebat. Cui notus quidam obuiam factus,
cum quarebat. Cui notus quidam obuiam factus,
cogitare, suavit vt in panem recentem exprime-
ret cruorem & saniem vulneris, atque comeder-
e dum hunc obijceret cani, à quo latus esset. Id e-

nim salutare ipsi futurum esse. Tum saucius cum
 risu: Hoc remedio, inquit, ego scilicet in me om-
 nium, qui in vrbe sunt canum morsus iritauero.
*Docet fabula, nullo beneficio prauos ab iniurijs deduc-
 si, atque plerunq; reddi benignitate aliorū deteriores.*

ADOLESCENTES ET
 COCVS.



CVM forte propter cocum adolescentes duo
 versuti atque furaces assedissent, occupato coco
 rebus suis, vnus horum rapuit frustum carnis, &
 alteri tradidit, qui demisit in sinum. Cocus post-
 quam ad carnes respexit, & abesse aliquid sensit,
 qui sciret affuisse præter duos istos neminem, re-
 petere ab illis amissum frustum cœpit: At is, qui
 de altero acceperat, deierare se non abstulisse:
 qui verò ipse sustulerat, penes se non esse. Cocus
 intelligere improbos esse & veteratores: Et mihi
 qui-

Æ S O P I C Æ.

85

quidem, inquit, quid factum sit, ignaroverba da-
re potestis, Deum autem profectò non falleris.

*Deterret fabula à fallacia & fraude sermōis & per-
iurio, nihil enim horū non manifestum Deo est, quam-
uis forte hominum animaduersionem effugiat.*

I N I M I C I



I N eadem naui uehebantur duo, qui inter se
capitalia odia exercebant. Atq; vnus quidem in
prora, alter verò in puppi confederat. Orta tem-
pestate ingente, cum oēs de vita desperassent, in-
terrogat is, qui in puppi sedebat, gubernatorem,
quam partem nauis primum submersum iri pu-
taret? Cui gubernator, proram inquit. Tum ille:
iam non magis, inquit, mors mihi grauis futura
est, siquidē aspecturus sum interitū inimici mei.
*Significat fabula, multos non moueri suis malis, si
ijsdem inimicos, & eos quos odere prius circumueni-
ri videant.*

F 3

F E

F A B V L A E
FELIS ET MVRES.

IN domo quadam magna copia muriū diuer-
fabatur. Hoc felis cum comperisset, eodem se cō-
tulit, & venatione atq; captura musculorum be-
ne aliquantisper vicuit. Cum autem mures a-
nimaduenterent, suum numerum quotidie fieri
minorem, & quod à fele consumerentur, statue-
runt se intra suas cauernulas & ijs in locis conti-
nere, in q̄ peruenire illa nō posset. Felis cū mures
nō magis, vt soliti fuerat, p̄currere videret, sta-
tuit fraude illicere seq; quasi mortua esset, de cla-
uo quodam suspendit. Quam conspicatus fortè
desuper musculus: Heus tu, inquit, si te in saccu-
lum conuersum esse sciam, nunquam tamen cō-
missurus sum, vt ad te propius accedam.

*Docet fabula, prudentes non pati sese iterum im-
proborum dolis falli, vbi illorum fraudes semel fue-
rint experti.*

THVNNVS ET DELPHINVS.

THVNNVS Delphinum persequentem fu-
giens, cum incitatissimo ferretur impetu, flucti-
bus ad insulam appulsus, in illam vna cum del-
phino eijcitur. Ibi thunnus conuersus, & delphi-
num conspicatus vita defici; non sibi iam magis
suam mortē tristem futuram esse aiebat, qui cer-
neret autorem illius vnā secum interiturum.

*Hæc fabula demonstrat, æquiore animo suas misere-
rias ferre homines solere, si illarum autores ijsdem
irretiri intelligant.*

MEDICVS ET AEGROTVS.

DYCEBATVR funus: hoc medicus, cuius
opc-

AE S O P I C A E.

87

Opera in morbo usus fuerat mortuus, comitabatur. Atq; ibi cum alijs, qui funus prosequerentur, multa verba facere, & si vino abstinuisset iste, inquit, ac celeriter alius fuisset humor facta ut purgaretur, poterat conualescere. Tum de amicis vnus: Hæc, inquit, qua lingua nunc dicis, cum occasione amissa frustra memoratur? Quo tēpore vero recte ac vtiliter fuissent dicta, eo reticuiti.

Monet fabula, necessario tempore succurrendum laborantibus, ususque est hac similitudine elegantissime contra Aeschinem Demosthenes. Nequidquam autem monet, qui sero monet: id quod & Ovidius eleganter versibus expressit de ponto lib. 11.

Nunc mihi naufragio quid prodest dicere factum,
Qua mea debuerit currere cimba via?

AUCEPS ET ANGVIS.



EXIIT ad aucupium cum visco quidam & arundinibus, ac turdum forte in alta arbore se-

4

deny

dentem conspicatus, intendere atq; construere calamos, & viscum allinere cœpit, defixis in turdo oculis, atq; spe sua. Inter hæc miser anguem latentem in herba calcat, à quo iritato ictus, & lethali accepto vulnere, iam moriens: Me miserum, inquit, qui dum alteri insidias struo, ego circumuentus, & captus pereo.

Docet fabula, eos, qui alijs malè consulere studeant, sibi interdum primis malum accersere, secundum hæc Hesiodicam sententiam.

Malum consilium consultori pessimum.

F I B E R.



F I B R V M esse quadrupedem animastē, qui fere in aquis degat, atq; eius pudenda magnum in medicinis vsum habere, accepimus. Hic igitur, quoties vrgetur vi hominū, nō ignarus, cuius rei gratia petatur, præmordet ipse pudenda sibi sua, & contra insequentes, projicit, atque ita sæpenu-
mero conseruatur. Signi-

Significat fabula, similiter & prudentes homines salutis suæ conseruandæ gratia iacturam facultatum libenter facere. Vt & in poëticis fabulis legimus, non fuisse cariora Hippomeni poma aurea, quàm vitam suam, quibus abiectis illam retinuerit.

CANIS ET COCVS.



CANIS in culinam introgressus, occupato coco, neq; animaduertente, corculum pecudis rapuit & aufugit. Quem his verbis cocus fertur esse persecutus: Age, nunc hoc abstuleris impune: Sic tamen habeto, te posthac, vbicunque conspectus sis, cautius à me obseruatum iri. Non enim cor abstulisti à me, sed cor mihi attribuisti.

Id fabula docet, quod apud Herodotum Croesus loquitur, Rebus aduersis intelligentiam excitari.

F A B U L A E
CANIS ET LUPVS.

IACEBAT forte ad stabulum domiens canis, quem oppressum dilaniaturus lupus, mitigatur commoditate orationis, & blanditijs promissorum. Viden enim, inquit canis, quam hoc tempore extabuero macie corpus meum. Nam non diu est, cum grauisimo morbo liberari coepi. Et prope est tempus dictum nuptijs herilis filij, tunc ego sagina, nitorem pristinum facile recuperauero, ut postea laute de me epulaturus esse videar. His verbis lupo persuasit, ut in praesentia se amitteret. Post dies aliquot reuersus ad idem stabulum lupus, videt canem sub tecto domus iacentem placide acquiescere, quem ad se descendere iubet, & facere promissa. At canis illum deridens: Ego tibi, inquit, lupo consilium dare volo: Ne si posthac vnquam me ante stabulum sopitum deprehenderis, vllas magis nuptias expectes.

Indicat fabula, homines sapientes, si qua forte in re offenderint, aut periculum adierint, non committere, ut se eidem iterum discrimini committant.

CANIS ET GALLVS
GALLINACEVS.

CANIS & gallus societate inita vnà iter faciebant. Noctu in agro deprehensi, cum tenebrarum viam obscurarent, sic acquiescendum statuere, ut gallus in arboris ramis insideret, inferius autem in cauum truncum irreperet canis. Cantante autem suo more gallo, excitata vulpecula accurrit, atque illum hortatur, ut descendat: cupere enim sese complecti auem tam grata & suauis voce praeditam

Æ S O P I C Æ.

eam. Cui respondit gallus: Ianitorem, qui fores pandat, prius suscitandum esse, quam ipse descendere possit. Stulta vulpecula non prouisa fraude ad arborem accedit propius, & ianitorem quanto potest altissimo gannitu ciet. ergo canis expectatus, subito in vulpeculam insilit, & correptam dilaniat.

Docet fabula, vim & iniurias inimicorum, quibus ipsi pares esse non valeamus, ad alios potentiores calliditate consilij auertendas esse.

LEO ET RANA.

LEO auditis ranæ clamoribus, quos illa toto rictu edebat quam maximos, primum percelli animo valde cœpit, quod crederet ingentem animalentem esse auctorem tanti clamoris. Animo tamen confirmato, circumspicere, & contra illum clamatorem, quisquis esset, sese parare, & ad pugnam accingere. Cum videt prorepentem ranam de propinquo lacu, ibi leo, simul indignatione, simul etiam pudore affectus, pede illam conculcatam attriuit.

Docet fabula, non esse ad quemlibet strepitum explorandum, neque nos inexplorata te terreri oportere.

LEO, ASINVS, VVLPES.

AMICITIAM quodam tempore iunxere inter se, leo, asinus, vulpes, atq; ita communiter venatū exiere. Copiosa autem præda parta, iubet asinum leo illum diuidere. Qui simpliciter inter tres æquales partes distribuēs, forte putabat decerni oportere, quam quisque deberet sumere. Ob hac leo ira commotus, in asinum irruit, & dilacerat.



lacerat atq; deuorat miserum. Tum vulpem diu-
dere iubet. At illa in vnum aceruum congestis v-
niuersis, sibi exemit paruulam portiunculā, atq;
hanc iustam diuisionem esse dixit, vt leoni, cui
non solum auspicijs, sed etiam laboribus omnia
essent quæ sita, plurima extra quidem sortem ce-
derent: Cui leo: Quis te, inquit, optima vulpecu-
la, tam scitè partiri docuit? Asini, respondit vul-
pes, mi leo fortissime, asini, socij nostri casus.

*Docet fabula, solere aliorum calamitate & malis
prudentiores reddi homines.*

LEO ET VRSVS.

CVM in hinnuleum forte fortuna vnum eo-
dem tempore leo & vrsus incidissent, vterq; illo
potiri volens, acerrimè secum conflictari cœpe-
runt, atq; ita vnus afflixit alterum, vt oborta ver-
tigine, ambo in terra prostrati iacerent. Vulpecu-
la aut, q̄ euentum pugnae expectasset, cū videret
illos

AE S O P I C A E.

93

illos esse viribus defectos, hinnuleum relictum in medio, ipsa illis semiapertis oculis intuentibus, abstraxit. Quod cum illi prohibere non possent: Infelices nos igitur, intercidentibus verbis, in-quiunt, vulpeculae causa dimicando perimus.

Sape de aliorum laboribus fructum alij percipiunt. Quid autem fecit aliud Philippus rex macedonum quam quod relictam opulentiam terrae Graeciae, confectis mutuo Marte & viribus suis ciuitatibus, ipse interueniens occupauit.

D I V I N A T O R.

D I V I N A T O R in foro respondebat consulentibus. cum subito nuncius illi aduenit, patere fores domus ipsius, neque intus quicquam reliquum, sed omnem suppellectilem esse direptam. Quo perculsus animo ille exiit, & curriculo ad aedes suas contendit. Hunc conspiciens festinantem quidam Heus tu, inquit, cum alienarum rerum praedictiones profiterere, cur tuas negligebas?

Notantur hac fabula ij qui cum ipsi perperam uiuant, aliena omnia curare & corrigere oratione sua non dubitant.

F O R M I C A E T C O L V M B A.

F O R M I C A sitiens in fonticulum se demiserat, sed undis ablata ueniebat iam in periculum ne suffocaretur, cum non esset ubi consisteret. Hoc columba cernens, de arbore iuxta fontem enata, defractum ramum in aquas abiicit, cui adhaerens

rescens



rescens formica, mortem euasit, paulò post affuit
 auceps, & arundinibus dispositis visæ columbæ
 insidiari cœpit. Cui metuens formica, ad aucupē
 inter opus arrepsit, & ita vehementer illum pu-
 pugit, vt arundines præ dolore abijceret, atq; ha-
 rum strepitu territa columba auolauit, ac pericu-
 lum vitauit.

*Docet fabula, erga benemeritos esse nos gratos de-
 bere.*

VESPERTILIO, RUBVS,
 HIRVNDINO.

VESPERTILIO, rubus, & hirundo conso-
 ciatis rebus suis mercaturam facere decreuerāt.
 Tum vespertilio alicūde pecuniam mutuo sum-
 ptam pro sua portione ad negotia cōmunia con-
 sulit, rubus autem vestem, at hirundo as: atque
 ita omnibus compositis nauem conscenderunt.

PR

proiectis vero in altum, tempestate frangitur na-
vis, & vix sua corpora & vitam, rebus omnibus
amissis, seruare potuerunt. Sed ex eo tempore,
hirundo littora frequentat, sperans fore, vt ex-
pulsam æs fluctibus recuperet. At vesperilio,
metu creditorum, interdium latitat, & noctu voli-
tat. Verum rubus non cessat prætereuntium ve-
stes arripere, si forte recipere suam possit.

*Ostendit fabula, earum rerum, quibus operam de-
derimus, cura nos semper teneri.*

LIGNATOR ET MER-
CVRIVS.

CAE DEBAT quidam ligna iuxta fluuium,
qui cum inter opus excidisset forte securis, in flu-
men delata & demersa fuit. Tum ille inops con-
siliij, in ripa assidens deslere fortunas suas, & la-
mentari misere. Mercurius vero, qui forte præ-
teriens querelas illius cognouisset, misertus ho-
minis, aquas subiit & attulit securim, non eam
quidem, quæ amissa fuerat, sed aureã, & an hæc
esset quam perdidisset, interrogauit. Qui cum
suam illam esse negaret, extulit alteram argen-
team, sed ne eam quidem agnoscente lignatore,
postremo ferream attulit, quam lætus homo suã
dixit. Hac probitate delectatus deus, vniuersas
illi secures donat. Ita vt acciderant cum postea
narraret plurimis, vnus in similis euentus spem
vocatus, & ipse in præterfluentem securim suam
abiecit, & propter cum mox assidens plorare at-
que lamentari. Huic, ita vt dudum alteri, Mercu-
rius se obtulit, & causa lacrymarum audita, au-
reã

ream protulit securim, interrogans, ea ne esset, quae delapsam in aquas quaereretur. Qui cum magno gaudio statim agnoscere se, & eam esse dixit: At Mercurius, mendacem & impudentem hominem auersatus, & se a conspectu illius, & auream securim una secum abstulit, neque proiectam in fluuium retulit.

Fabula docet, non minus malis deos aduersari, quam prodesse bonis solere.

ÆGROTUS ET MEDICUS.

ÆGROTUS quidam a medico suo interrogatus, quo pacto praeteritam noctem peregisset, respondit, se admodum sudasse. Hoc, inquit medicus, bonum est. Postridie reuersus, & similiter percunctatus aegrotantem, audiuit, horrore fuisse ipsum vehementi concussum. Hoc, medicus, bonum, inquit, & ipsum est. Tertio sciscitatus, quomodo haberet, cognouit aquam intercutem effusam affligere hominem. Sed & hoc bonum esse dixit. Digresso medico, accessit ex amicis vnus aegrotum, & quid sit, inquit, & quo in loco sunt res tuae? Optimo, inquit aegrotus. Nam multitudine bonorum extingor.

Fabula indicat, non alijs homines magis succensere, quam ijs, quos in suam gratiam mentiri, & a quibus assentationibus se falli animaduertent.

ASINUS ET OLITOR.

SERVIENS apud olitorem asinus, cum perpe-
tuis laboribus fesso pabulum exiguum praebere-
tur, precibus suis Iouem exorauit, ut illo domi-
no liberatus, ad alterum perueniret. Ita venun-
datus, nactus est herum figulum. Quo in serui-
tio,



tio, cum & luti & vasorum oneribus grauaretur, minus sibi viuendum putabat, & multo quam prius maioribus precibus, vt liberaretur, Iouem fatigabat. Ioue igitur volente, tertio venijt, additusque fuit cerdomi. Apud quem cum quæ gererentur videret: Heu mihi, cum gemitu, inquit, quantò priores seruitutes tolerabiliore erant. Nam ab hoc intelligo etiam pelli meæ periculum imminere.

Fabula ostendit, tum maximè homines veterè fortunam requirere, cum nouam experiri cœperint.

A V C E P S E T C A S S I T A.

A V C E P S laqueos disponebat, & struebat infidias auibus, cuius opera cõtemplàs cassita, quid gereretur admiràs, accessit propius, & sciscitatur de homine, quid struat? Respondit ille, se urbem condere. Atq; omnibus perfectis, occultat se intra ramos arborum. Cassita ad nouã urbem aspici-

G

cien-

ciendam celeriter aduolat, & laqueo implicita capitur. Cumque accurrisset auceps, tristis hæc ille: Si tales vrbes condis, inquit, nõ facile multos incolas reperies.

Fabula monet, malè coli atque habitari cum oppidatum domus, in crudelitate & rapinis principium.

VIATOR.

ITINERE quidam longo fatigatus, votum fecit, dimidium eius, quod reperisset, se Mercurio consecraturum, cum autem incidisset in sacculum refertum palmis & amygdalis, illo sublato, fructus quidem comedit, nucleos aut palmarum & amygdalorum testas in aram imposuit, quod se soluere votum diceret, atque inuenta cum Mercurio partiri, de quibus extima & intima illi offerret.

Castigantur hac fabula auari, qui etiam Deorum ipsorum respectum postponunt cupiditatibus suis.

PVER ET MATER.

ITABAT in ludum literarium puer parvulus, atque illic condiscipulis suas tabellas negligentius asservantibus, suffurari eas & afferre matri solebat. Ea pueri furtis delectabatur, tantum ab erat ut ob delicta filium suum castigaret. Itaque ille, quod in pueritia facere, assueverat in parvis, grandior in magnis etiam exercere coepit. Deprehensus autem quodam tempore in manifesto furto, & capite damnatus, ad supplicium cum duce retur, valde obsecrauit carnificem, ut sibi matris, quam sequi cum lacrymis & eiulatu animaduertent, compellendæ potestatem faceret: Qua re facile impetrata os ille, tanquam arcanam quandam orationem

rationē habiturus cum matre, ad aurem ipsius applicat, & mordicus, hanc arripit. Quod factum non solum matre, sed tota etiam multitudine indignè ferente, neq; solum ut furi faciente conuicia, sed etiā ut impio, docuit ille, matrem se ultū ut posset causam sibi exitij & ignominiosam mortis. Si enim, cum quondā, inquit, ad eam pueriles afferebā tabellas, me castigasset, non processissem eō usq; audaciā, qua nunc ad crucem adigor.

Fabula monet, neglecta delictorum supplicia in causa esse solere, ut illa maiora fiant & cumulatiora.

PASTOR ET MARE.

Pastorē, qui gregē suū fortē appulisset ad mare, cū cerneret illud stare placidū & quietū, cupiditas incessit nauigādi, & mercaturas faciēdi. Vēditis igitur ouib; suis, mercatur palmas, & in nauē imponit, atq; ita in altū perhitur. Orta autē tempestate, cū periculū esset, ne nauis fluctib; deprimere- tur, mercib; eiectis in vndas, agrē vacua nauis fuit cōseruata. Post dies pauculos, cū ad mare pastor tristis sederet, p̄tereunte quodā, & secū tranquillitatē maris, nā tempestas abierat, admirāte: Ego, inquit pastor, scio qd sibi velit hæc maris tranquillitas, nā alias palmas p̄fecto q̄rit, quas deuoret.

Docet fabula, malis acceptis homines cautiore in posterum reddi solere.

MALVS ET PIRVS.

Certamine de formæ præstantia inter pirum & malū orto, cū illæ multis inter se verbis disceptarent, rubus de propinqua sepe: Finem tandem, exclamat, obsecro rixarum faciamus.

Fabula ostendit, in dissensionibus potentum etiam infimos principatum querere.

TALPA.

TALPA animal est oculis captum: Hoc ad matrem aliquando suam morum video, dixit. Atque iterum, thuris odor compleuit nares meas. Tercio, sonitus æris attigit aures, inquit, meas. Cui mater respondit, se intelligere de dictis, non modo ipsum lumine, sed odoratu etiam atque auditu priuatum esse.

Fabula notat gloriosos & Thrasones istos qui dum se mirifice ostendunt & iactitant, in minimis sæpe deprehensi redarguuntur.

VESPÆ ET PERDICES.

LABORANTES siti vespæ & perdices accedunt ad agricolam, & ab illo potum petunt. Neque se gratas solummodo futuras ob beneficium acceptum, sed promerituras etiam esse aiunt: opera quidem sua perdicem collocata in vinea fodienda, at vespas aculeis suis circum hac volitantes abigendo fures. His respondisse agricolam ferunt: Habere se boues duos, qui nihil promittentes faciant omnia, atque illis aquam potius se præbiturum esse.

Narratur fabula in homines nocentes, qui sermone adiumenta & utilitatem ostendunt, re autem tantummodo obesse consueuere.

PAVO ET MONEDVLA.

CVM haberent comitia volucres regi creando, petijt regnum pavo, quod se ob formam eximiam illo dignum præ cunctis esse diceret. Qui





cum omnium iustitias laturus videretur: Hic tamen rex, inquit monedula, si forte sit factus, & aliquam hostem habuerimus, quidnam opis auxiliū poterit afferre?

Monet fabula, in principibus legendis non speciē modo, sed etiam virtutem & sapientiā spectari oportere.

APER ET VULPES.

VIDENS vulpecula ad truncum roboris accurrentē dentes aprum, interrogat illum, quo consilio faciat, cum nulla urgeat necessitas, neq; bellum instet. Cui aper respondit: sibi periculum si forte ad eundem sit, non otium tum futurum ad acuendos dentes, ergo se rectē, dum concedatur tempus, ad euentum pugnae preparare.

Monet fabula, ad pericula vt nos preparemus.

CASSITA.

DVM escam appetit, irretita laqueo cassita, deplorans fortunam suam: Me miseram & infelicem

iam

ma

Atq;

Ter-

Cui

mo

ditu

dum

de

acce

Ne-

cium

opera

dien-

antes

ferūt

es fa-

bitu-

morte

tatum

rean-

n exi-

Qui

cum

licē; inquit, volucrē, non ego alijs aurū subduxī,
non argentū rapui, nihil inuasi rei vllius precio-
sæ, sed paruulū tritici granum mortē mihi affert.

*Illis fabula narratur, qui parui lucelli gratia maxi-
ma sæpè discrimina non dubitant adire.*

H I N N V L E V S.

H I N N V L E V M cum ceruo sic locutum ali-
quando ferunt: Mi pater, cum multò sis maior ca-
nibus, & pedum his celeritate præstes, præterea
cum tibi sint ardua cornua, quibus à te vim pro-
pulsare facile possis, quī fit, vt canes tantoperè
metuas? Ibi ceruus ridens: Mi nate, vera, inquit,
memoras: Mihi tamen, nescio quo pacto, semper
accidit, vt audita canum voce, in fugam statim
conuertar.

*Fabula docet, eos, qui natura formidolosi sint, nulla
cohortatione confirmari posse.*

L E P O R E S E T R A N Æ.



L E.

LEPORES quodam in conuentu de miseria & fortuna in felice vitæ suæ conquesti, quod & à bestijs illa & ab hominibus impugnaretur, nam & canibus & aquilis, & omnibus propemodum feris carniuoris sese direptioni & prædæ esse, tum sibi mortem vltro consciscere velle decreuerunt: statuebant enim, multò esse satius semel interire, quàm sempiterna formidine agitari. Itaque reprobata vniuersis, ad proximam paludem cuncti impetu maximo ferebatur, vt in aqua demersum suffocarentur. Ranae autem, quæ fortè in herbis iuxta paludem enatis incubabant, incursione leporum territæ, subito omnes in paludem se fugientes demisere. Tum vnus inter lepores reliquis sapientior: State, inquit, socij, neq; in vos ipsos grauius quidquam consulite, Nam nos quoque, vt videtis, quædam animâtes metuunt, quas scilicet esse inferiores nobis oportet.

Fabula ostendit, afflictis aliorum miseras solatio esse.

A S I N V S E T E Q V V S.

Videbatur asino beatus esse equus, qui tam accurate & copiose pasceretur, cum sibi ne palea quædam post maximam defatigationem abundè præberentur. Fortè autem bello exorto. cum in prælium ab armato equo ageretur, & circumuentus ab hostibus, post multiplices labores pugnae, tandem faucibus collaberetur: Hæc igitur omnia conspiciatus asinus, quam paulò antè fortunatum esse equum censuerat, tam miserum & infelicem esse iudicabat.



Docet fabula, non esse principatus & opes propter splendorē appetendas, sed in consideratione inuidiæ & discriminum, in quibus principes & opulenti versantur, boni consulendam tenuem fortunam, & mediocritatem vitæ. Itaque & Plato Ulyssis animam elegisse ait vitam hominis privati, & non negociosi, neglectis omnibus alijs, honoribus & opulentia, potentiaque præclaris.

A V A R V S.

A V A R V S & pecuniæ magnus amator quidam agris domoq; sua & supellectiliac vestimentis vendatis, aurum, quod de precio illorum coegerat, liquefactum in vnam missam refundit atque redigit, & hanc obruit terra. Quo autem loco aurum, eodem & animum accor suum sepelijt. Itaque illo quotidie venire, & contemplari diuitias suas, & magnam capere intuitu voluptatem. Hoc animaduerso, quidam qui propè operis nescio

nescio quid facere consueverat, ratus, id quod erat, aurum defodisse illic hominem, cum avaro, satiatus aspectu terræ, qua tegetetur aurum, discessisset, accurrit, & eruta terra aurum reperit atq; aufert. Mox avarus, ut solebat, reuertitur: cumque vidisset quod interea factum fuerat, lamentari cœpit miserabilem in modum, & tenuē vellere capillum, & deos atq; homines incusare. Que m præteriens quidam cum cerneret in mœrore esse maximo, quid acciderit interrogat, & re audita: Heus tu, inquit, ne plora, neue tantoperè afflige animum tuum: Nihil enim, ut videtur, damni fecisti, qui tum etiam, cum haberes aurum caruisti auro. Quare nunc repone istum in locum saxum quodpiam, tibiq; persuade ibi conditum esse aurum. Nam nihil prorsus interfuerit, neque alterum altero maiori tibi vsui esse poterit. Neq; enim cum adhuc aurum defossum istie esset, à te vsurpabatur.

Significat fabula, frustra possideri ea, quibus non utaris: neque esse fructum diuitiarum, nisi in harum vsu.

ANSERES ET GRUES.

IN vno quodam prato pascebantur anseres & grues. Adueniente aucupe, grues leuitate sua adiuti facile auolant, at anseres impediti gravitate, dum moliuntur fugam, ab aucupe præhenduntur.

Ostendit fabula, vrbe capta, cum pauperes plerumque vim hostilem effugiant, diuites in potestatem hostium venire, & in seruitutem abduci.



TESTUDO ET AQUILA.

Magnoperè orabat aquilam testudo, volare sese vt doceret. Aquila ostendebat testudini, rem illam petere cōtrariam naturæ ipsius. Sed nihilo illa minus instare, & obsecrare aquilam, vt se volucrem facere vellet. Itaque vngulis arreptam aquila sustulit in sublime, & laxatis illis testudinem demisit, vt per aërem ferretur, quæ delata in rupes commissa interijt.

Fabula docet, multos cupiditatibus suis occæcos, consilia prudentiorum respuere, & in exitium ruere stultitia sua.

PULEX.

Cum infilisset pulex in pedem cuiusdam, ille ad opprimendum hunc Herculem inuocauit. Sed cum pulex se illinc mox saltu subduxisset, cum gemitu ille: Hercules, inquit, quid ego abs te opis in magnis periculis expectem, qui contra publicè adesse mihi noluisti?

Fa-

Fabula monet, non esse in rebus paruis & futilibus potentium auxilia imploranda, sed illud per fugiū singularibus casibus reseruandum.

CERVVS.

Cervus altero oculo captus iuxta mare pasci consueverat, ita ut integrum oculum in terram haberet versus: nihil enim periculi videbatur à mari impendere. Cùm autem fortè navis præterueheretur, qui in illa erant, directa in ceruum sagitta, incautum confixere. At ille iectus, me miserum, inquit, quātoperè falsus fui, qui à terra metui, fretus vndis è quibus mihi mors immittitur.

Sæpè, ait fabula, quæ nocitura homines putauerint, ea ledere non solere, contrà, quæ profutura sperarint, ab ijs maximis interdum damnis affici.

CERVVS ET LEO.

Cervus fugiens venatorem subiit antrum, quod fortè in fuga cōspexerat, ibi incidit in leonem, à quo cum dilaniaretur: Heu mihi, inquit, cur non potius in hominum, quam sæuissimæ bestix potestatem veni?

Significat fabula, homines interdum parva pericula declinantes, in maxima se conijcere.

CERVA ET VITIS.

Cum fugeret cerua insequentes venatores, occlusit se sub vitæ: Venatoribus autem paululum prætergressis, quod putaret se cerua iã esse in tuto, secuta animi carpere pampinos & mādere cœpit. Quorum motus atque strepitus venatores conuertit, atque illi, quod res erat, arbitrati sub vitæ bestiam aliquam latere, accurrunt.

&c.



& visam ceruam iaculis configunt. Quę moriens: Meritò, inquit, hoc mihi euenit, quę violare non dubitarim seruatricem meam.

Docet fabula, vltionem numinis non effugere eos, qui pro beneficijs malefacta rependant.

ASINVS ET LEO.

VERSABANTVR in eodem loco asinus & gallus gallinaceus. Irruente autem leone, exclamat gallus, ac leo (dicitur enim vocem galli non ferre) aufugit. Asinus se metui putans, cursu fugientem leonem persequitur. Progressus autem longius, cum nō magis iam exaudiretur galli vox, leo substitit, & asinum arreptum deuorauit. Qui cum interficeretur: Me insanum & dementem, inquit, qui nequaquam bellatore patre procreatus, ad pugnam me incitauerim.

Fabula significat, sæpè imbecilles per occasionem adoriri territos inimicos, sed eosdem gerentes se improvide

uidè & elatè, à confirmatis facile & celeriter opprimi.

OLITOR ET CANIS.

DELAPSUM in puteum canem olitor seruare & retrahere cupiens, demisit & eodem se ipse. Canis veritus ne descendisset sibi nocendi gratia, & vt suffocaret demersum, dentibus illum petere, & morfu lacerare. Tum faucius olitor cū dolore: Iure mihi, inquit, hoc accidisse fateor. Cur enim auctorem ipsum sui interitus ego seruare volui.

Hæc narratur fabula contra stultitiam & iniustitiam. Narratur & talis fabula: Agitasse quendam asellum iuxta precipitium quoddam, & asellum semitam angustam atque lubricam, quantumcunque ille, qui agebat conaretur retrahere, voluisse ingredi. Tum iratum hunc tandem detrusisse asinum in rupes, cūm diceret, vt Horatius fecit:

Quis enim inuitum seruare labore?

SVS ET CANIS.

MVTVA sibi conuicia sus & canis faciebant. Sus per venerem iurare se canem, nisi desinat maledicere, dentibus suis conscissuram esse. Hanc irridens canis: Per Venerem, inquit, venustum est iusiurandum tuum. Nam te valdè delectari Dea apparet, quippe cūm nolit in suum fanum admitti eos, qui gustarint carnes tuas. Cui sus, iam mitior, respondit: enimuerò illa me diligit, cūm occisores meos & infestos mihi prorsus repelli iubet ab se. At tu foetes tam viuus, quàm mortuus.

Monet fabula prudentes, vt inimicorum conuicia

¶

& probra facete ad laudem suam conuertant, & contra illos retorqueant.

S V S E T C A N I S.

Certamen erat inter suem & canem de pariendi facilitate atq; fortuna. Canis quidem mirari se aiebat, si esset animans vlla, quæ hoc nomine contra se gloriari auderet. Tum sus, memento tamē, inquit, tuos catulos cæcos te parere.

Docet fabula, non celeritate laudem, sed perfectione contineri.

A N G V I S E T C A N C E R.

Amicitiam iunxerant anguis & cancer, & vna viuere in domestico quodam familiaritatis usu statuerant. Sed cancer, animal simplex & probū, cum socij & necessarij sui fraudulentia & calliditate admodum offenderetur, sæpè hortatus fuit anguem, vt mores illos suos veterarios exueret. Anguis non modò non obtemperare rectè momenti socio, sed fieri etiam indiēs deterior atque versutior. Quodam igitur tempore cancer sopitum inuadit, & forcipe sua captum strangulat: Qui cū mortuus iaceret directus: Ita te, inquit cancer, viuentem rectum, & simplicē esse oportebat, si ferri tuam consuetudinem à bonis postulabas.

Indicat fabula, eos qui in amicitia fraudulentè versentur, ipsos sese vehementissime ledere.

P A S T O R E T L V P V S.

Repertum catulum lupi paruulum sustulit pastor, & ablatum secum inter canes eduxit. Qui corroboratus, si fortè lupo ouem rapuisset, insequebatur cum canibus & ipse. Cū autem canes
inter-



interdum anequi lupum non valerent, ac se recipere, hic persequens, dum ad illum perueniret, non magis se fugientem sui generis animantem, particeps esse prædæ solebat. Postea à sagina reuertebatur & ipse. Quod si fortè lupus externus oves rapere cessaret, ipse clanculum iugulabat, & deuorabat cum canibus, donec his compertis pastor eum suspensum de arbore necauit.

Fabula dicit: Naturæ prauitatem bonos mores non producere.

LEO ET LVPVS.

Decumbebat in antro suo senio confectus leo, & insuper morbo correptus. Ad quem visendum omnes animantes conuenerant, præter vulpem. Hac occasione captata, lupus vulpem grauissimè accusare, quæ tam superbè despiceret regem suum, neque ad illum ægrotantem viseret. Hæc illo declamitante aduenit vulpes, & de clausula orationis, quam vehementer

ac-

accusata esset, intelligens, & cernens Leonem fremere ira, consilium cepit callidum, & sui defendendi, & vlciscendi inimici, ac dicendi copia impetrata: Quæ nam igitur de cunctis animantibus, inquit, tanta cura solitudineq; afficitur de salute & vita Regis, quanta ego? Quæ omnia loca peragro, vestigans medicinã, qua sanari posse videaris, ac nuper tandẽ inueni qui remedium demonstraret, præfens quidem atque efficacissimum, vt videtur. Quod nam? latus nuncio, inquit, leo. Lupi, inquit vulpes, pellem modò detractam & adhuc calentem oportebit te circundare ventri & costis. Hoc audito, ita leone imperante, lupo misero pellis deripitur, & leoni applicatur. Cui iacenti insultans verbis vulpecula: Non irritare, inquit, te principis animum, sed mollire potius & flectere oportebat.

Fabula docet, qui alteri struat malum, eum sibi laqueos, quibus capiatur, neçtere.

MVLIER ET MARITVS
EBRIOSVS.

VIXERAT aliquot annis mulier cum viro ebrioso, & illius molestias atq; tractationem malam pertulerat. Tandem verò statuit experiri, an vlla ratione tantò malo vir suus liberari posset. Ergo eum temulentum & obrutum vino accuratè confopit, ac mox oppressum profundissimo somno, neque magis sentientem, quàm mortui solent, humeris suis sublatum deportat in sepulchrum vetus, & in illo deponit atque abit. Paulò post de præteriti temporis notatione, cum conijceret,

ceret, crapulam & ebrietatem edormisse homi-
nem, reuertitur, & monumento pulsato, si quis
intus sit, progredi eum iubet. Vir qui adhuc sanè
esset somniculosus, qd velit interrogat. At illa: cū
bū, ait, se mortuis circūferre. Tū ebriosus vir: Ne-
tu mihi, quisquis es, cibum, sed potum afferto.
Est enim hoc mihi contrarium, te cibi ac non et-
iam potus mentionem facere. Hic mulier tristi-
tia affecta, & manibus pectus plangēs suum. Nul-
la, inquit, arte meliorem te fieri posse vir intelli-
go, ita consuetudine confirmatum & in naturā
abijsse morbum video.

*Fabula monet, non esse assuescendum vitiosis acti-
onibus, quòd ea, quæ sæpè multumque fiant, etiam no-
lentes prosequantur.*

O L O R.

PECVNIOSVS quidam, qui anseres habe-
ret domi, emit & olorem, & inter illos aluit. Au-
dierat enim suauissimum esse cantum olorinum.
Cum autem veller ad epulas iugulare nocte qua-
dam anserem, ideò enim alebatur, fortè cepit o-
lorem, quòd tenebræ discrimen inter hunc & il-
los fieri nullū fineret: At olor carnē dulcissimū,
quod aiunt illos facere solere, vbi instare mortē
sentiant, accinit, atq; ita cognitus seruatur.

*Commendat fabula doctrinam, & imprimis musi-
ca studia, quibus etiam mors ipsa sæpè auertatur.*

Æ T H I O P S.

EMPTVM æthiopem quidam putabat ita in-
negligentia prioris domini decoloratum fuisse.
Itaq; ad se deductum, summa cum cura lauare, &

H

destrin-



et tringere, & omni ratione anniti, vt fordes illas, quemadmodum rebatur, abstergere possit. Verum mutare illū colorem non valuit, a thiops autem afflictus cura in morbum incidit.

Significat fabula, nullo pacto mutari ingenia & naturas, sed retinere insitas semper proprietates, & quasi personas attributas sibi. Rectè igitur dicitur & hoc apud Aristophanem:

*Non poteris rectum cancris inducere gressum,
Nec leues horrentes echini reddere sentes.*

HIRVNDINO ET CORNIX.

De formæ præstantia certamine orto inter hirundinem & cornicem, cum diu multumq; certatum verbis esset, cornix tandem: Quidquid, inquit, formositatis in te sit, vernum hoc solūmodo tamen est, at ego etiam hieme duro.

*Monet fabula firmitatem corporis forma potio-
rem habendam.*

Æ S O P I C Æ.

115

M E R V L A.

Suspensa ante fenestram in cauea merula noctu cantabat, ad quam aduolans vespertilio, rogat, cur nō die potius canat, & noctu acquiescat? Quia enim, inquit illa interdum cantitans prodita & capta fui, itaq; nunc malo edocta die taceo. Tum vespertilio: Sed tu enim, inquit, sero caues, quam priusquam deprehendereris tacere oportuit.

Docet fabula, post euentum, & cum iam malum acceptum sit, seram esse pœnitentiam & cautiones.

C O C L E Æ.

Torrebat puer rusticus cocleas, quibus ad prunas stridentibus: Scelerata, inquit, animantes, potestis canere, cum vrantur domus vestræ?

Fabula monet, quæcunque non fiant suo tempore, ea esse reprehendenda.

M V L I E R E T A N C I L L Æ.

Mulier vidua, quæ texendo vitam sustentabat, solebat ad opus excitare de nocte ancillas suas, cum quidem gallorum cantus auditi essent. At illæ diuturno labore defatigatæ, statuerunt gallū domesticum interficere, quòd huius cātu de somno dominam suscitari dicerent. Quo facto deteriore conditione, quàm prius esse cœperunt: Nam de hora & tempore incerta domina & dubitans, prima sæpè nocte famulas postea excitabat.

Indicat fabula, sæpè numero bonæ spei consilia habere exitum infelicem.

H 2

S A-



S A G A.

S A G A quædam & mulier diuinatrix, auerte-
re se Deorum iras, & placare infesta numina pos-
se, profitebatur. Quam ream quidam fecere, po-
stulantes impietatis, caussaq; iudicibus probata,
cum ad supplicium illa damnata abduceretur,
de turba quidam irridens: Heus tu, inquit, quæ
pollicebare alijs diuinæ iræ procurationem, non
potuisti humanam sententiam mitigare?

*Fabula narratur in magnarum rerum professores,
qui minimarum sint imperiti.*

F E L E S.

Irreperat in officinam excusoris feles, ibique
reperitam limam lingere cœpit, cumque sauciata
de lingua cruor manaret, gaudens illa euentu,
quod crederet ferrum à se lacerari, non fecit lin-
gendi finem, donec tota lingua absumeretur.

Fabu-

Fabula dicitur contra eos, qui cupiditatibus & pertinacia sua seipsos damnis afficiunt.

AGRICOLA.

QUI terram colebat, cum agrum foderet, aurum fortè reperit. Memor igitur beneficij, ut à terra in se collati, & gratus, hanc quotidie fertis redimire solebat. Ergo fortuna aliquando accedens ad illum: Cur acceptum refers, inquit, terræ, quod tibi ego tribui, cum statuissem te diuitijs augere? Nam sorte, si ita cadat, mutata, & auro delato ad alios, satis scio, te non terram, sed fortunam accusaturum esse.

Fabula monet, auctores beneficiorum agnoscedos, et illis memoriam atque gratiam persolendam esse.

VIATORES.

DVO vnà iter faciebant. Horum vnus reperitam bipennem sustulit. Tum alter hortari, ne sic loqueretur, ut diceret, ego bipennem inueni, sed sic: Nos inuenimus. Hoc ei, qui sustulerat bipennem, non persuadebatur. Mox visis quibusdam, qui se insequerentur cum clamore & concitato cursu, esse eos, qui amisissent bipennem, conijciens, perijmus, inquit. At alter: Perij, inquit, dices, nunc quoque, non perijmus, quippe cum inuenimus nolueris dicere, sed inueni.

Indicat fabula, eos, qui non fiant participes commodorum, neque in malis etiam fideles esse socios.

RANÆ.

RANÆ duæ vicina loca incolebant, altera paludem profundam, altera lacunulam iuxta viam, in qua modicum aquæ substiterat. Tum illa palu-

dis inhabitatrix hortari alteram, vt ad se commigraret, vbi multò tutiorem vitam degere liceret. Hæc verò negare se posse auelli à consueto domicilio atq; loco. Paulò post, nihil metuentem plaustrum rotæ, quod illa ducebatur, contriuerunt.

Significat fabula, homines in vsu rerum futillum prius ferè subuerti, quàm ad meliora vel aspirare velint, vel peruenire possint.

MELLARIVS

Cum fortè abesset apium dominus, ingressus apiarum fur, execut fauos & aluearia compilauit, reuersus mellarius, & aluearibus inanibus repperitis, ad illa confitit, & dolens damno suo, & querens secum quid ageret. Interea redeunt apiculae de pastu, & in illum infestæ inuolant, pungentesque aculeis suis pessimè accipiunt hominem. Qui iratus: Sceleratæ, inquit, animantes, furem dimisit intactum, me verò curatorè vestrum affigitis.

Indicat fabula, quod quidam per ignorantiam, aut etiam vecordiam inimicos non caueant, amicos vero auersentur, aut repellant, tanquam aduersarios suos.

ALCEDO.

Alcedo auis est amans solitudinis, & in alto degit, ac ferunt, insidias hominum vitantem in rupibus marinis nidificare, & excludere pullos. Hæc quodam tempore oua paritura, nidum affixit scopulo, & foetum in eo reliquit, ac euolauit ad pastum: interea vento commotum mare, & procellis elatum, fluctibus nidum obruit, atque oua dissipauit. Reuersa mater, & cognito dano suo: *Infelicem me, inquit, quæ terram vt insidiosam*
fu-

fugiens, contuli me in mare multò infestius mihi atq; nocentius.

Hæc fabula docet, quod nonnulli mortales metuentes ab inimicis, non vitent sæpè concursum amicorum opinione sua, à quibus maioribus detrimentis afficiantur, quàm quæ dari ab inimicis potuissent.

PISCATOR.

In fluuio quidam retibus expositis captabat pisces Tum ad fustem lapide alligato aquas feriēs, & limum turbans, quod pellucidum erat, illis adimebat, vt temerè fugientes pisces retibus implicarentur Hoc alius, qui propter eum fluuium habitabat, fieri, & puras aquas inquinari, molestè ferebat. Tum piscator: Nisi, inquit, aquæ commotæ turbidæ reddantur, mihi fame pereundum sit.

Fabula ostendit, homines suis commodis studentes, excitare seditiones consueuisse: & turbulentos, cum in pace nihil bonæ spei inueniant, ad commouendos status & tranquillitatem publicam incumbere. Quo nomine & Cleon apud Aristophanem repræhenditur hoc modo:

*Nãq; id, quod ijs, anguillas qui captant, vsu tibi venit
Vt vnda si stabilis fiet, nil quicquam capere possint:
Sin susq; deq; concitauerint lutum in palude,
Captura præsto est, vt lucrum tibi mota ciuitate.*

SIMIUS ET DELPHINVS.

Solebant quondam mercatores in longinquis nauigationibus assumere catellas melitæas, aut simiolas, quorum lusibus tædium nauigandi

leuaretur. Quodam igitur Atticam cum simiolo præteruecto, non longè à Sunio promontorio regionis illius, vehementissima oritur tempesta, & inhorrescit mare, atque fluctus tanta vt concitantur, vt naus euerteretur. Disiectis igitur atq; fluitantibus omnibus & rebus & hominibus, natabat in vndis & simius. Hunc conspicatus Delphinus, misertus illius, quòd esse hominem arbitraretur (singularis autem amor est erga genus humanum Delphinorū), annatat ad simium & susceptum euehere ad terram incipit. Iamq; in conspectu erat Piræus, ibidemq; nauale Atheniensium, cum interrogat Delphinus simium: An esset ciuis Atheniensis: Qui cum respondisset, se & esse ciuem Atheniensem, & in ea vrbe nobilibus parentibus procreatum: Amplius ille, an noscitare posset Piræum, rogat. Tum simius: Optimum ne illum amicum & summum, ac in primis familiarum, inquit, meum, ratus de homine delphinum loqui. Quo tam impudente mendacio offensus delphinus, in mare se demersit, & vanum simiolum in aquis suffocandum reliquit.

Cōtra vanitatem & mēdacia hæc fabula narratur, quæ sæpenumerò gloriosulis non solum detrimēto, atque probo sed etiam exitio fuisse compertum est.

M V S C Æ.

A D mel profusum in cella quadam aduolantes muscæ, illius dulcissimo succo iucundissime pascuntur. Sed iam saturæ, cū auolare vellent, pedibus in tenace liquore hærentibus, nitentes etiam alas implicuerunt quasi visco quodam
mel-

mellis. Itaq; moritura, O misera, inquiunt, quantum illis nobis cibus interitum attulit?

Fabula reprehendit voluptarios & liguritores, qui lenocinio dulcedinis in magna sæpè mala incurrere, sæpè etiam interire soleant.

MERCVRIVS ET STATUARIVS.

A VE BAT cognoscere Mercurius, quãtope re ab hominib. coleretur. Venit igitur in officinã statuarij, specie emptoris, & primũ Iouis simulacro conspecto, quanti indicaret, interrogat. Cumque audisset æstimari denario, subridens: At Iunonis hoc quãti? inquit. Aliquãtulo pluris, inquit statuarius, hoc vendo. Quã magno igitur? inquit Mercurius, faciamus enim precium. Nũmis sestertijs, inquit ille, habeto nouem. Cõtemplans verò reliqua, vidit & Mercuriale signũ, quod & ipsum licitatur. Sperabat aut carius multo æstimatũ illud iri, quippe Mercurij quod esset, nũtij & interpretis deorũ, cuius numen in spe lucri oēs mortales inuocarẽt. Tũ statuarij: Si tibi, inquit, emptis signis opus est, dabũtur illa duo, de quorũ precio, pcutatus es, sesq; denario, & hoc in cumulũ accedet.

Contra gloriæ cupidos fabula dicitur, qui tamen ab alijs non magnifieri consueuerint.

MERCVRIVS ET TIRESIAS.

MERCVRIVS periculum facturus diuinatiõis Tiresiæ, formam hominis sibi accõmodat, & abactis bobus illius qui in agro pascerentur sub vrbe ad Tiresiam venit, quasi sua aliqua de re illũ consulturus. Interea & de amissis bobus huic nuntiũ

H s affer-

affertur. Quo' damno motus, Tiresias assumptus Mercurio in locū editū & patētem proficiscitur, de auīū indicio furē vt cognosceret. Iubet igitur dicere Mercuriū, nū auē aliquā cernat. Ille, a quīlā se videre ait, q̄ volatu à læua ad dexterā ferretur. Nihil hæc ad nos, inquit Tiresias, obseruem igitur aliā. Paulò post Mercurius cornicē cōspicatus, in proximę arboris ramo insidentē, q̄ nūc rostrū in cœlū attolleret, nūc terrā versus demitteret, id ipsum significat vati. Qui gestu cornicis intellecto: Hęc, inquit, cœlū & terrā cornix testatur, recepturū me boues meos, siquidem tu volueris.

Hac fabula aduersus fures vii possumus.

C A N E S.

CVI erant canes duo, is horū alterū ad venationes assuefecit, alterū ad custodiā domus. Si quid autem prædæ partum labore venatici allatū fortè esset, particeps fiebat illius & domesticus. Ferebat id molestè venaticus, & conuitia ignauix & desidix faciebat domestico, quærebaturq; de suis illum defatigationibus & sudore benè victitare. Cui domesticus respondit, non se accusandum esse, sed dominum, à quo non labores, sed aliorum labore quæsitā absumere edoctus esset.

Indicat fabula, imperitæ adolescentiæ sustinere parentes culpam, qui non curarint rectè illos educandos.

P A T E R E T M A T E R F A M I L I A S.

ERAT nupta cū quodā mulier iracunda, & morositate intollerabilis toti familiæ. Hic cognoscēdi cupidus, vtrū suāne tantūmodò, an etiā paternā domus ferre illam nequiret, bona cum gratia, quā

Æ S O P I C Æ.

123

quasi magna res agatur, ad patrem eam remittit. Pp̄st dies non multos reuocatam interrogat, quā rectē sibi cum familia paterna cōuenisset? Bubulci, inq̄t illa, & pastores mihi visi sunt offendi mea p̄sentia. Ibi vir, mulier exclamās inquit, si grauis & inuisa ijs fuisti, qui prima luce domo egrediuntur & eadem postrema reuertuntur, quid de alijs suspicādum, cū quibus totos dies versata es?

Intelligendum, sēp enūmerō magna de paruis rescisci, & incerta de certis explorari solere.

HOEDVS ET LVPVS.

HOEDVS à grege aberrauerat, hunc lupus visū insequi cōepit. Qui cum intelligeret se virib⁹ suis malum effugere non posse, callidum consiliū inuit, & ad lupum cōuersus, mi lupe, inquit, video me futurum esse cibum tuum: Tu tamen ne graue parua in re benigne mihi facere, & quō iucūdius finiam vitam, prius carmē aliquod accinito, ad quod saltando exhilarer. Ita enim caruncula mea suauior erit. Statuit morem gerere lupus hēdo; & alta voce edit vlulatū, quo audito canes accurrūt: tū relicto lup⁹ hēdo fugā facere. Sed enim iure, inquit, hoc mihi euenit: Me enim, qui cocua esse debueram, cantorem agere non oportuit.

Fabula docet nunquam feliciter naturam propriam exui & indui alienam.

CANCER ET VVLPES.

EGRESSVS quondam de aquis cancer in ripa pascebatur, hūc famelica vulpes corripuit, cumq̄; illum deuorare vellet: Cur igitur inquit, ego, qui fluuiatilis essem, terrestris fieri volui?

Indi-

Indicat fabula, sua studia deserentes, & incumbētes in aliena, meritò fortunam experiri aduersam.

F I D I C E N.

SOLEBAT quidam fidibus canendo exercere se sub testudine, cui inductū paulò antè tectoriū fuerat, vbi cum vox resonaret, valdè huic illa canora videri: itaq; elatus animo decreuit, & in certamen publicum theatri procedere. Vbi cum deterrimè cantaret sibilis exactus, & plagis in super affectus pœnas dedit stolidæ audaciæ.

Fabula hæc indicat, quosdã in scholis & apud suos quantiuis precij sibi videri, & opinione præclara efferri vt ad rem publicam etiam accedere audeant, in qua gerenda sæpè turpissimè se dare consueuerint.

F V R E S.

FVRES qui se per ruinosum parietem in ædes quasdam insinuassent, cum quod auferre possent, nihil reperirent, gallum fortè strepētem & cantantem comprehendunt & secum asportant. Quem iugulaturi orantur ab eo, sibi vt parcant, suum enim cantum vtilem hominibus esse, quos excitet de somno ad opera & laborem. Tum fures, eò libentius inquit te occiderimus, qui eos fuscites quorum vigilantia obstet conatibus nostris.

Fabula significat, malis ea maximè aduersari, quæ bonis profint. Monet & hoc, imprudentes ea sæpè defensione vti, qua magis aduersariorū adiuuetur causa quàm sua.

C O R N I X E T C O R V V S.

CORNIX inuidens coruo famam augurij, conspicua-

spicata viatores, subuolat in arborem, & quã potest altissima voce crocitat, quibus conuersis & territis ad sonum illius, vnus tandem, pergamus, inquit, comites, ista enim cornicis vox est, neque in augurijs obseruatur.

Fabula docet, eos, qui cum potioribus de dignitate conuendunt, non solum non exæquari illis, sed etiam risui sese exponere.

CORNIX ET CANIS.

CVM rem diuinam faceret cornix, pecude Mineruæ mactata, ad cenam inuitat canem. Quid tu verò Deam, canis, inquit, frustra sollicitas, & sine causa sumptus facis? Ita enim illa te vehementer odit, vt ex omnibus tui generis animantibus, vni tibi fidem augurij detraxerit. Ideo igitur cornix, huic inquit, sacra fero, vt mecum placata in gratiam redeat.

Docet fabula, esse multos, qui lucri spe inimicos colere & munerari non dubitent.

CORVVS ET SERPENS.

CVM fame coruus periret, neq; escam vsquam inueniret, fortè conspectum anguem conuolutum & apricantem rapit, quo replicato & fauciente coruum, ictus ille, ô me miserum, inquit, cui eius modi oblatum fuerit comodum, à quo mihi interitus immitteretur.

Castigat fabula auaros, quibus lucri cupiditas sæpè exitiosa esse comperiatur.

MONEDVLA ET COLUMBÆ.

MONEDVLA animaduertens victum abundantem columbarum, cerussa oblinis nigrorem suum

suum & adiungit se columbis. Hæc secum illam cibum capere donec tacuit, facile passæ, postquam crocitantem audiuerè, irruunt in eam & abigunt de colubari. Tum reuertitur ad monedulas, quæ albatam hanc vt alienam auem & ipsæ excludunt. ita quæ non contenta sua sorte meliorem secuta fuerat, vtriusque vitæ commoda amisit.

Monet nos fabula, vt fortunam quisque suam amplectatur, vtq; cogitemus, cupiditates præterquã quod nihil utilitatis afferant, sæpè etiam damnosas esse.

M O N E D V L A.

CAPTAM quidam monedulam alligatam filo deuincto ad pedem illius, donat filiolo suo cum qua luderet. Illa impatiens humanæ consuetudinis occasionem nacta, in siluas auolat, implicito autem filo arboris ramis, cum iam fame sibi moriendum intelligeret: Me miseram, inquit, & stolidam auem, quæ hominum seruitutem fugiens, in mortem & exitium me coniecerim.

Fabula indicat quod homines declinantes mediocria mala in maxima interdum incurrant.

O P I F I C E S.

IUPITER Mercurium iussit opificibus omnibus dare potionem medicatam vanitate. Ille oblitus vnus generis, nescio cuius, miscuit æqualiter medicamentum vniuersis. cum autem recordaretur postea horum, quidquid relictum fuerat, id totum ebibendum prius præteritis præbuit. Ideoque cum omnes opifices multum mentiatur, aliqui tamen putantur esse vanissimi.

Narratur fabula mendacibus opificibus.

I V P I T E R.

Fuerat Iupiter creatis hominib. oblitus verecundiam quoque attribuere, cum reliquos omnes affectus attribuisset. Ergo dubius animi non inueniens viam, qua & hanc illis infereret, iubet vt ipsa in turbam & multitudinē sese inferat. Quod cum facere admodum grauaretur, Iupiter autem vt faceret valde instaret, consensisse tandem hac conditione dicitur, ne libido eodem, quo ipsa accederet: huius enim coniunctionem vel potius conspectum se tolerare non posse. Ex eo fit, vt omnes impuri & libidinosi, etiā sint inuerecundi.

Narratur fabula, contra impudicos et seruientes turpitudini cupiditatum.

I V P I T E R.

Cū Iupiter duxisset Iunonē, inuitasse ad nuptiale conuiuium vniuersas animātes traditur. Quæ cū tempestiuè aduenissent, sola cessauit testudo, de qua cū causā moræ sciscitaretur, respōdit illa, suā cuiq; domū gratissimā esse. Itaq; iratus Iupiter hac eam pēna affecit, vt affixam perpetuo sibi domū suam gestare cogeretur: vnde & hoc est in obscura & veteri illa descriptiōe huius animantis, terrigena, tardigrada, domiporta, sāguine cassa.

Fabula de ijs narratur, qui suarum rerum tenuitatem præferunt aliorū splendori & copiæ. Monet etiā inferiores, primū vt caueant, ne ad iram prouocent potentiores cunctatione sua, nam fames & mora, vt ait Plautinus Sosia, si tamen Plautina illa sunt, bilem in nasum conciunt. Deinde vt offensos clementer respondendo placare potius, quā verborum insolentia

tia

tia contra se irritare velint.

L V P V S E T O V I S.

QV I euaserat canes saucius lupo cùm iaceret in terra sine viribus, à prætereunte oue petijt, de præterfluente sibi potum vt afferret. nam ego facile, inquit, tum cibum inuenero. Ouis fraude intellecta, si ego potum attulero, inquit, me scilicet pro cibo vsurus sis.

Fabula dicitur in veteratores & fraudulentos insidiatores.

L E P O R E S.

L E P O R E S suscepto bello aduersus aquilas, auxilium vulpium implorarunt. Qui responderunt, non se fuisse illis defuturos, nisi scirent & qui ipsi essent, & quibuscum bellum gererent.

Docet fabula, eos negligere salutem suam, qui cum potentioribus inimicitias exerceant.

F O R M I C A.

QV A M animantem formicam nominamus, eam fuisse quondam mortalem humani generis accepimus, exercuisse autem agriculturam, in cuius assiduo studio & summa cupiditate, vicinis & res & frumenta subtrahere clanculum soleret. Qui cùm, vt fit, furi multa quotidie mala imprecarentur, motus tandem Iupiter communi execratione, in animantem, que, vt diximus, formica nominatur, conuertit furacem agricolam. Non tamè vna cum specie mores quoque mutati fuere, nam formica nunc quoque rura frequentat & alienos labores ipsa percipit atque recondit.

Fabula ostendit, naturas prauas immutatas manere

re in omni formæ varietate.

VESPERTILIO ET FELIS.

VESPERTILIO delapsa in solum comprehensa fuit à fele. Quæ cum hanc dilaniatura esse videretur, petijt illa suppliciter vitam sibi vt concederet. At enim felis hoc facere posse negabat, q̄ esset capitalis hostis omnium auu. Tum vespertilio se non auem, sed murem esse dixit, itaq; dimissa fuit. Paulò post capta ab alia fele, similiter petijt sibi miserè vitam relinqui. Ibi felis sibi hoc factu perdifficile esse ait, quæ cum omnibus muribus bellum gereret, vespertilio verò, se murem nequaquam esse affirmare, sed volucrem. Quare iterum periculum euasit, & nomine mutato bis seruata fuit.

Instruit homines fabula ad prudentiam, vt pro tempore & loco mutare cōsilia discāt, omnibus enim proposita conseruatione salutis cum dignitate coniunctæ, non idem semper dici, sed idem spectari oportet. Alludunt ad fabulã hanc ea, quæ referuntur à Nonio ex Agathone Varronis: Quid multa? factus sum vespertilio, neque in muribus planè, neque in volucris sum.

VIATORES.

VIATORES quidã in littore constiterãt, quod longè in mari fluitantia sarmenta nauem esse arbitrantur, quæ ad littus appelleretur. His verò propioribus factis, sperabant lembum esse, mox vento & fluctibus eiecta sarmenta cum cognouissent, stulti scilicet inquit, nos hic frustra nauigia expectauimus.

Fabula docet, quosdam ignotos formidine aliis esse

opi-

*opinionem suam, cum quibus si quis propius congregiatur
statim apparere futilitatem & ignaviam illorum.*

ASINVS SILVESTRIS.

SILVESTRIS asinus prostratus in sole mansuetum asinum cernens, beatum illum iudicabat animo suo, qui & cute nitida & bene habito corpore esset. Mox videns eundem & onera ferre & ab agitatore fustibus cædi, non ego te, inquit, magis beatum esse duco, intelligo enim cum quanta calamitate tua bona confusa sint.

Fabula docet, commoditates coniunctas cum miseria non esse appetendas.

ASINI.

ASINI perpetuam ponderum & agitationum defatigationem intolerabilem rati, ad Iovem legatos quodam tempore miserè, oratum ut sibi ille succurreret, tantisque à malis liberaret animalia innocentia. Quibus Iupiter volens ostendere id, quod peterent fieri non posse, respondit, defuturos onera baiulare asinos, cum mingendo fluuium effecissent. Quo audito, quod ex animo & simpliciter hæc Iovem locutum fuisse crederent, decreuerunt, ubicunque asinus minxisse alterum animaduertisset, ibidem & ipse uti mingeret, quod & ab illis observari ad hunc usque diem aiunt.

Vult demonstrare fabula, fati destinata non tolli.

ASINVS ET VVLPES.

ASINVS indutus leonis pelle, superbè obambulabat & reliquas bestias territabat. Huic obuiam facta vulpecula, quæ fortè illius vocem audierat,
etiam

etiam te ego, inquit, metuerem, nisi te rudere so-
lere sci rem.

*Fabula docet quosdã indoctos, alienis sæpè esse ad-
mirabiles, priusquam ipsi stulticiã suã verbis indicent.*

A S I N V S E T R A N Æ.

A S I N V S ligna portans lacumq; transiens & in-
lubrico titubans collabatur, cumq; onere graua-
retur, neque resurgere posset, eiulare & lamenta-
ri cœpit. Cuius quarimoniam audientes incolæ
lacus illius ranæ. Heus tu, inquiunt, quid faceres
si tanto tempore in his aquis iacuisses, quãto nos
in ipsis versamur, cum vix hic concideris & om-
nia miserabili questu compleas.

*Hanc possit fabulam vir fortis & patiens laborum
narrare ignauro & ocioso, qui in minimis defatigetur et
doleat.*

A S I N V S E T C O R V V S.

A S I N V S pascebatur quodam in prato, huius
in exulceratum dorsum inuolat coruus, & tun-
dit rostro fauciam cutem. Tum asinus igitur ru-
dere & subsilire, at agitator ridere, præteriens aut
fortè lupus & hæc cernens, O nostrum infortu-
natum genus, inquit, quos omnes ad primum cõ-
spectum clamoribus & armis insectantur, isti au-
tem, coruum significans, impunè licet asini pellẽ
pectere, atque insuper etiam arridetur.

*Ostendit fabula, improbos & damnosos statim esse
manifestos, cum primum apparuerint.*

A S I N V S E T V V L P E S.

I N I I T amicitiam cum asino vulpes, atque

I 2 ita

ita communiter exire venatum. Cùm autem leonē conspexisset vulpecula, verita vt euadere cursu posset, calliditate periculum vitare tentat, & ad leonem accedens. paciscitur vitam suam pro asini proditione. Leo tum quidem vulpi vitam promittit: Illa verò in laqueum inducit asinum, in quo captus cùm hæreret neque aufugere posset, capit prius vulpem leo, atque ita ad deuorandum ociose asinum accedit.

Fabula indicat, quòd sociorum suorum proditores sibi etiam ipsi plerunque exitium accersant.

GALLINA ET HIRVNDINO.

GALLINA reperta oua serpētis, cœpit studiose incubando fouere, vt pullos excluderet. Hoc agentem conspicata hirundo, stulta, inquit, cur in hoc fetu educando operam ponis, qui eductus in te primam omnium iniuriosus est futurus.

Fabula docet, prauitatem non mansuescere, quantumuis benignè tractetur.

CAMELVS.

CVM homines primùm camelum aspexissent, territi granditate bestię refugere ab hac percussis animis. Mox intellecta mansuetudine illius accessere propius, intuitique fuere confidentius. Tandem cùm comperissent felle carere, eo vsque despexerunt, vt & frenos iniicerent, illi & pueris agitandam traderent.

Fabula docet terribiles casus consuetudine ita mitigari, vt sæpè etiam contemnantur.

ANGVIS.

ANGVIS cùm à plurimis premeretur, ad Iouem

uem

uem supplex cōfugit querens iniurias & vim hominum: Cui Iupiter, si is, qui te primus pressit, fuisset à te percussus, reliqui à te abstinuissent pedes suos.

Fabula indicat eos, qui primis oppugnantibus resistant, alijs terrori solere esse.

C O L V M B A.

SITI enecta columba cum vidisset in tabula pītum cratera, rata aquam inesse, concitatoq; impetu ad illum lata, inflictam alam in asseres frengit. itaque delapsa in terram à pueris capta fuit.

Fabula monet, vt caueamus, ne imprudenter aggre diamur vllas res, obsequentes cupiditatib. nostris: quòd hæ multos in maxima damna impulerint.

C O L V M B A E T C O R N I X.

C O L V M B A quæ in columbari nutriebatur, iactabat fecunditatem suam, audiens hoc cornix at tu inquit, nec quicquam ea re superbis de qua tibi plurimum doloris & luctus colligitur. Quantum enim tibi pullorum, tantum tristitiæ paritur.

Fabula docet in seruitute, miseriam augeri fecunditate.

D I V E S.

C V M essent diuiti cuidam filia dux, deq; his altera mortem obiisset, conduxit ille mulieres, quæ in funeris pompa deflerent mortuam, quas Latini præficas dixere. Quarum miserabiles plāctus conspicata superstes soror: Quanta est hæc, inquit, infelicitas, id facere posse alienas vt tam vehementer plorent atque eiulent, cum id nos

quarum luctus est proprius, nequeamus? Cui mater, desine, inquit, mirari filia mea, tanto per te istas mœrere. Hoc enim pecunia accepta faciunt.

Fabula ostendit inueniri quosdam tam auaros, qui non vereantur quæstui habere alienas calamitates.

P A S T O R.

EGERAT pastor oues in quercetum, ibi strato sub arbore vestimento suo, conscendit illam & decutere cepit glandes, ad quas accurrentes oues dum illas mandunt, etiam vestem pastoris dilacerant. Qui cum de arbore postea descendisset, & cognouisset damnum quod interea fecerat: Improbissime, inquit, animantes, vos alijs ad vestitum lanam suppeditatis, mihi verò, qui vos pasco, meam vestem diripistis.

Ostendit fabula, multos mortales alienis insciantes bene, & suis male facere.

P I S C A T O R E T S M A R I S.

SMARIDEM aiunt esse pisciculum paruum in cibo gratum. Huius generis captam vnam perpuillam orasse piscatorem, qui ceperat, ferunt, ut illo se tempore amitteret ac sineret grandescere, tum enim illum se maiore cum commodo suo facile esse recepturum. At ego, inquit piscator, desipiam, si spe futuri boni vel maximi, præsens è manibus dimittam, quamuis modicum

Docet fabula, incogitantes esse, qui malint magna sperare bona potius, quam mediocribus frui.

E Q V V S E T A S I N V S.

AGITABAT quidam equum & asinum onustos sarcinis. Deficiente autem in itinere asino & petente

petēte ab equo, vt aliqua parte oneris se leuaret, si se viuum aspicere vellet, repudiauit equus preces illius. Paullo igitur post fatigatione & labore consumptus asinus in via corruit & efflauit animam. Tum agitator omnes sarcinas, quas asinus portauerat, atque insuper etiam detractam pellē asino, in equum imposuit. Ibi ille deplorans fortunam suam, cum fero iam fastidij peniteret: *Me miserum, inquit, qui paruulum onus in me suscipere grauatus fuerim, cum nūc cogar tantum ferre, accedente etiam pelle comitis mei, cuius preces tam superbè contempseram.*

Docet fabula, si superiores cum inferioribus operas suas communicent hoc solere vtrisque salutare esse.

DE FAVNO ET VIATORE.

SATYROS & Silenos vocant Græci ruris & siluarum numina, qui Latinis sunt Fauni & Siluani. Ex his vnus quondam viatorem hyemis frigore afflictum deduxisse perhibetur in specum suum misertus hominis. Cumque videret crebrò eum manus ori admouere, & illis inhalarere, rogat quid sibi ea res velit, respondit viator, calesceri ita spiritu manus contractas gelu. Tum Satyrus, ne quid humanitatis erga hospitem prætermitteret, affert in phiala vinum calidū & adhuc feruens, illoque suum fouere guttur & stomachum iubet. In hoc & ipsum inspirare viator, quod diceret admiranti & causam requirenti Satyro, refrigerari potum anhelitu. Ibi Satyrus cum auersatus: *At tu, inquit, cito te aufer*

à me & egredere de specu, nihil enim cū tua peruerfitate commercij habere volo, qui eodem ex ore efflas calidum & frigidum.

Fabula fignificat fugiēdas amicitias dubias & mutabiles hominum inconstantium & leuium.

VULPES ET LIGNATOR.

AGITATA vulpes à canibus longo fpatio fuga confect o, deuenit tandem ad cafulam, ante q̄ lignator findebat ftripitem quernum, ad eum fupplex confugit orans, vt fibi latebras aliquas demonftraret, in quibus dum venatores præterirēt, occultaretur. Ille mifericordia motus fuam cafulam iubet fubire, ibi fperare fe illam in tuto futurā, poftea recordatus animantē illā eſſe nocentē, & tamen manifeſtē prodere fupplicē non auſus, infecutis venatorib. & nū vulpē vidiffet per cunētātibus, vidiffē quidē ille verbis negabat, fed manu oculisq; cafulam fuam indicabat, vbi volebat intelligi latere vulpeculam. Sed venatores non animadufero indicio, & attendentes orationi, celeriter difcedunt. Vulpes, quæ & audierat & viderat omnium, progrefſa mox de cafula, abire inſalutato lignatore. Quod cū ille ægrè ferret, & tanquam cum ingrata expoſtularet: Etenim ſalutem tu mihi debes, inquit, tuam, & meo beneficio vitam retines. Tum vulpes: Agerem, inquit, gratias ego tibi, ſi cum oratione tua manus & oculi conſentirent. Quod ſi dicendum aliquid eſt, ego quidem linguæ benè precor, fed manus præciſas & oculos tuos effoſſos velim.

Fabu-

Fabula contra eos narratur, qui verbis benè pollicentur, re autem malefaciunt.

H O M O E T S T A T V A.



Quidam domi suę consecrata nescio cuius diu lignea statua, colere hanc & fertis ornare assidue solebat, & petere ab hac diuitias & opes. Sed hoc cum frustra longo tempore fecisset: non modò enim nō augebatur res ipsius, sed etiam diminuebatur, iratus tandem apprehensum pedibus simulachrum terrę infixit. Illiso autem fortè in saxum capite, effraet oq̄; magna vis auri effunditur, quod in eo fuerat inclusum. Hoc colligens ille: Magna est, inquit, peruersitas tua, diue, qui uerantem te neglexeris, & affligentem ditaueris.

Significat fabula, prauos non cultu, sed vi & aduersando placari.

C A N I S E T C O C V S.

In domo quadam ingens conuiuium apparabatur.



tur. Inuitat igitur canis domesticus externum, secum ut epuletur. Deductus externus in culinam, videt omnium rerum ad victum necessariū summam adesse copiam, magnas etiam ubiq; lautitias animaduertit. Itaq; gaudio plenus: Pape, quā opiparè, inquit, hic nunc conuiuabor? tantò scilicet me cibo ingurgitare poterò, ut saturitas postri diè etiam duratura esse videatur. Hæc ille secum lætus murmurans, caudam quasi adulans coco quassat, ille ut ab externo metuens, arreptum de fenestra eum projicit in viam: Qui cum clamore maximo aufugiens habuit obuium sibi notum alterum canem. Hic igitur, qui fuisse eum inuitatū foras sciret, quomodo acceptus esset, interrogat. Cui alter: Ita, inquit, multum potaui, ut ebrius vnde exierim ignorem.

Fabula docet, fidem nō habendam ijs, qui de aliorū facultatibus beneficos se futuros esse polliceantur:

PI-

PISCATOR.

Piscator artis non admodum peritus venit cū
tibijs ad aquas, & carmen accinere cœpit, sperans
futurum, vt ad vocis suauitatem pisces exilirēt.
Sed falsus spe sua, arripit rete, & p̄icit in aquas,
magnamq; copiam piscium extrahit. Quibus in
ripa expositis, & lasciuiētibus: Nunc saltatis, im-
probi, inquit, dudum autem me tibiam inflante
quiescebatis.

*Fabula dicitur de ijs, quæ temerè vel non suo loco
atque tempore fiunt. Eandem iratus Cyrus apud He-
rodotum κλειοι, narrat Aeolensibus, qui pacem à vi-
ctore peterent, quem societatem quondam ipsorum fla-
gitantem repulissent.*

B V B V L C V S.

Bubulcus amiserat vitulum de armento, quod
custodire debebat. Tum ille siluas & solitudines
omnes obire, & requirere vitulum. Sed multa o-
pera & labore magno nequicquam absumpto, vo-
tum Ioui fecit, se hædum illi casurum, si esset si-
bi fur ostensus, qui vitulum rapuisset. Ibi fortè
delatus in saltum, videt leonem, à quo mandeba-
tur vitulus. Ad cuius conspectum ingenti formi-
dine percitus bubulcus: Magne, inquit, Iupiter,
reperito vitulī fure hædum me tibi ex voto debe-
re confiteor, sed nunc opimum bouem à me acci-
pe, & ex illius vi atq; vnguibus me eripe.

*Fabula monet, esse quosdam leuis animi homines,
optantes temerè quæ fortè concupiuerint, ea que conse-
cuti cū sint, tum animis angī, & quærere, quomodo
amittere possint. Itaque Plato censebat, nihil à Dijs no-
mi-*

minatim, sed ea quæ profutura illi nobis scirent, petenda esse.

CORVVS



Coruus graui morbo laborans: Mater, inquit, Deos interpella pro salute mea, & à lachrymis tempera. Cui respondit mater: Vereor vt meas preces vllum numen exauditurum sit: Nullius enim tu victimis vnquam pepercisti.

Fabula docet, quib. secundis rebus plurimi fuerint inimici, eos non facile amicos in aduersis reperire.

A Q V I L A.

Aquilam de rupe leporem, quem caperet despectantem, interea quidam sagitta confixit. Cuius ferrum cum intra corpus abiisset, pennæ autem arundinis exterius apparerent, illas contemplas aquila: Hoc demum, inquit, magnum est malum, quod meis ego pennis interimor.

Innuuit fabula, miserabile esse, si nostræ nobis facultates

tates & res periculum creare videantur. Hoc prouerbio vsus sceleratè Iulianus fuit, cū causam redderet e-
dicti, quo Christianis adimeretur lectio auctorū Græcæ
linguæ, & prohiberentur studia bonarum artium.

CICADA ET FORMICÆ.

Formicæ humectatas in hyeme siccabant fru-
ges, ad has adit cicada esuriēs, & orat paullulum
cibi vt sibi impertiant. Cui ille: Æstate, inquit,
quærere te oportuit. Non vacabat, inquit cicada.
Quid faciebas igitur? inquit illæ: Cantationi-
bus operam dabam, inquit. Tum illæ: Si cecinisti
æstate, inquit, hyeme saltato.

Monet fabula, ne vlla in necessariare cessemus, ne
postea egentes frustra præteritū tempus requiramus,
aut aliorum opem imploremus.

VERMICVLVS ET VVLPE S.

Emersus de sterquilinio vermis, cœpit profite-
ri apud animâtes se esse medicum summum, ne-
que cedere Pæoni Deorum medico, vsu & expe-
rientia artis. Quem rugis deformem & nutantem
intuita vulpes: Medice, inquit, te ipsum curare
prius atque ita profiteri artem debueras.

Docet fabula, turpiter ea ostentari verbis, quæ re i-
psa conuincantur mendacij. Et est prouerbio tritus hu-
ius sententiæ senarius Græcus, qui irridet medicum a-
liorum, ipsum scatentem vlceribus. Narratur fabula
& de rana prorsus eodem sensu.

GALLINA AVRIPERA.

Habebat gallinam quidam, quæ ouum quoti-
diè pariebat aureum. Hic sperans auri massam in-
tra

tra illam esse absconditam occidit gallinam, & in dissecta nihil aliud reperit, quàm quod in reliquis esse gallinis consuevit. Itaq; ingentibus ille diuitijs inhians, etiam mediocres perdidit.

Monet fabula, vt immodicas cupiditates & auidos diuitiarũ animos compeſcamus, et vt sua quisque fortuna contentus viuat.

LEO ET VVLPES.



LEO senio confectus, cum vires non suppetere-
rent ad victum parandum, callidum cepit confi-
lium sustentandi vitam. Itaq; in antro, quasi peri-
culoſo morbo correptus, decumbens, quod ad i-
pſum viſendum paſſim animantes reliquæ adue-
nirent, præhenſas illas deuorabat. Atque ita ma-
gna beſtiarũ multitudinem à leone abſumpta, acce-
dit tandẽ & vulpecula ad antrũ, & ante illud ſub-
ſiſtit, hæſitans atq; circumſpectãs. Tum leo, quid
ceſſet, cur non a deat ad ſe, rogat. At illa, id quod
Ho-

Horatius versibus retulit, respondisse fertur:

Quia me vestigia terrent,

Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

*Fabula docet, prudentes ante pericula cauere sibi,
& ea signa, quibus mala portendantur, notare, & hæc
effugere.*

LVPVS ET MVLIER.

Esuriens lupo omnia loca circumiens cibum
querebat, tandem audit intra casam rusticam, plo-
rantem puerum, & interminantem matrem, ni-
desinat, lupis eum se velle proicere. Lupus eo di-
cto in spem vocatus, habiturum se cibum, totam
diem astitit, opperiens, dum puerum mater pro-
iciat, sed vesperi hæc reconciliata puero, eidem
ablandiens, & assentans: Mi pupule, inquit, bo-
no animo sis, lupum si venerit obtruncabimus.
Tum lupo tristis & deceptus abiens: In ista, in-
qui, domo aliter loquuntur, aliter sentiunt.

Fabula dicitur in eos, quorū dictis nō respōdēt facta.

HŒDVS ET LVPVS



supra

Supra tectum domus stans hœdulus lupum prætereuntem inclamabat, & illi maledicebat. Cui lupus, non tu, inquit, sed tectum mihi maledicit.

*Sæpè locus & tempus fortes facit homines timidos,
vt insultare etiam præstantissimis non vereantur.*

M V L V S.



Opimus partu hordei factus mulus, incitare se ad cursum, & gloriari de materna origine, quam celeritate referret. Matrem, inquit, equam habeo, præstanti celeritate, qua ego non sum inferior. Mox quodam tempore currendi necessitate illi imposita defatigatus, cœpit paterni generis, & se esse asino procreatum, recordari.

Fabula monet, non superbiendum, si quem fortuna extulerit altius, neq; prioris conditionis obliuiscendū.

A N G V I S E T A G R I C O L A.

In vestibulo agricolæ cauerna erat, quam incolebat



lebat anguis, hic puerum illius paruum, à quo nō
 prouisus calcatus esset, ictum veneno sustulit, at-
 que conscientia facinoris in cauernam statim ser-
 pendo se recepit. Pater dolore maximo ob mor-
 tem filij affectus, bipennem arripit, & ante fau-
 ces cauernæ assistit, obruncaturus proserpentem
 anguem. Hic verò, cui in memoria hæreret perpe-
 tratum facinus, egredi cautè, & prius circumspi-
 cere omnia. Sed agricola vindictæ cupiditate fe-
 stinans, plagam in anguem vix dum apparente ca-
 pite summa vi infert. At hic celeriter illud redu-
 cit, & mortem subterfugit, & bipennis in saxum
 impacta signum impressit iræ & indignationis a-
 gricolæ. Paulò post hortant vxore illius cum an-
 gue vt reconcilietur, apponit ante cauernam pa-
 nem & salem, & euocat anguem ad componen-
 dam pacem. Cui anguis: Nulla, inquit, firma pax
 fieri

K

fieri

fieri poterit, donec & bustum filij tui, & istud signum tam violentæ plagæ in saxo apparuerit.

Significat fabula, non obliuisci homines, neque deponere odia ac cupiditatem vindictæ, quamdiu vestigia extent malorum, quibus affecti fuerint.

TUBICEN.



Tubicen cantu suo concitatis aciebus, & prælio ommissio captus: Ne me, ne, inquit, vos interficiete, nemo enim vestrâ à me est occisus, quippe ui inermis nihil nisi tubam hanc, vt videtis, habeam. At hostes: Ideo te, inquit, cupidius interimemus, quòd pugnandi imperitus, alios ad pugnas & dimicationes incitare soleas.

Fabula docet, nocentiores esse eos, qui otentes instigent & irritent ad malefaciendum alijs, quàm priuatos illos, qui ipsi malefici sunt.

A R V N.

ÆSOPICÆ.
ARVND O ET OLEA.

147



Disceptabant de fortitudine, robore, & cōstantia olea, seu quercus, nihil enim refert, & arūdo. Cū autem olea siue quercus arundini exprobraret mobilitatem, & quod ad quamuis illa exiguā auram tremere, tacuit arundo. Non ita diu post, ingruentibus ventis, & resistēte flatibus ipsorum vel olea vel quercu, ab horum illa vi eruta & dissipata fuit, arundo autem submissione sua integritatem conseruauit.

Fabula ostendit, laudandos eos magis esse, qui temporī seruire sciunt, & se non opponant valentioribus, quā eos, qui cum præstantioribus se & potentioribus rixentur atque contendant.

Significatur & hoc, quod Herodotus scripsit, Nummis hunc esse morem, ut ardua conuellat.

K 2

LV-

LUPVS ET GRVS.



In hæserat os in faucibus lupi, mercede igitur
conducit gruem, qui inserto rostro in rictum su-
um os de faucibus extrahat. Hoc longitudine
colli facilè grus effecit. Cum autem mercedem
postularet, subridens lupus, & dentibus infren-
dens: An tibi, inquit, merces parua videtur, quod
caput incolume retuleris de lupi faucibus?

*Fabula in eos dicitur, qui seruati de malis, erga salu-
tis suæ auctores ingrati reperiuntur.*

GALLI GALLINACEI.

Duo galli acriter inter se pro gallina dimica-
bant, ita vt ambo fauciarentur, sed finito prælio,
q̄ victus fuerat, is pudore & dolore affectus, late-
bras

bras quæsiuit: victor autem in altum parietem euolauit, & quanta maxima voce potuit, canere & alis strepere cœpit. Hunc de improviso aquila præteruolans rapuit, ita alter, qui se dudum abdiderat, postea sine æmulo gallinarum consuetudine frui potuit.

Docet fabula, Deum ipsum superbis aduersari, mites autem apud illum ingratis esse.

CVLEX ET LEO.

Aggressus culex ad leonem: Non ego, inquit, te tantam bestiam formido, neque tu me præstantior es. Vel dic ipse, qua maximè laude excellas? Num quia unguibus laceras, & dentibus discerpis miseras bestiolas? At idem facit fœmina, si quando cum viro pugnat. Me verò te etiam robustiorem esse vt intelligas, agè committamus prælium. Atq; ita se Martio illo canore, fractos sonitus imitante tubarum, in leonem incitans, intra nares illius inhæsit. Leo verò insanienis ira, suum ipse os proprijs unguibus dilanians, sese miserè affligebat. Tum culex cum exultatione auolans & cantu, tanquam victor, araneæ tela irretitur, à qua cum comprehenderetur, iam moriens: Quæ hæc est, inquit, infelicitas, me leonis victorem ab araneola interimi?

Fabula narratur contra eos, qui in eximia præstantia, leui aliquo casu euertuntur.

F I N I S.

Hic finis est earum fabularum, quæ Græca lingua editæ, passim in manibus discipulorum bonas litteras habentur.

bentur. Nunc ad eas accedā, quas diuersarum gentium,
 & etiam earūdem, dissimili tamē oratione perscriptas,
 nos collegimus, atq; simplici & inexquisito, puro tamē,
 si possemus sermone exponere studuimus. Quod, quam-
 uis videatur factu non difficile, neque laborem habere,
 aut industriam requirere, nos tamen in experiundo sen-
 simus, hanc operam non nullo nobis sudore constitisse,
 dicerem etiam non contemnendam neque illaudabilem
 diligentiam, & studium non vulgare adhibitum fuis-
 se, si melius de euentu sperarem. Sed de hoc opere qua-
 lecunque est, neque initio putauimus, neque nunc alie-
 niore, vt opinor, in loco, differere nos oportere, existima-
 mus. Hoc tamē videmur affirmare posse, inter has de-
 scriptiones, nos comperisse, eum qui Aesopicam fabulā
 mediocri orationis elegantia & perspicuitate, nec non
 sententiā cōuenientia narrare potuerit, bonam spem
 de omni reliqua eruditione concipere debere. Id vsque
 adeo verum est, vt etiam doctissimi viri in hac parte
 neque dubitent se frequenter exercere, & sēpē ipsi sibi
 minimē satisfaciant: vt quamuis hęc sint quaedam elo-
 quentię exordia, tamen ad illa ipsa perfectio huius re-
 currat atque reuoluatur. Sed ad propositam expositio-
 nem fabularum reuertamur.

FABVLA DE HOMINE ET LEO-
 NE LAPIDEO.

Orta inter hominem & leonem contentione
 de robore, cū se huic ille anteferreret, & omnib;
 modis vellet probare esse validiorem, deduxit
 lea-



leonem ad effigiem hominis de saxo expressam,
 à qua leo item saxeus pedibus calcabatur. Tū leo:
 Si nostrum, inquit, genus fingere etiam didicif-
 set, ego quoq; tibi, vt opinor, saxeos homines, q̄
 à leonibus premerentur, possem ostendere.

Docet fabula ostentationem virtutis propriae.

DE LEONE SOPITO ET MVRE.

Per leonis dormientis iubas decurrit musculus.
 Itaq; ille excitatus de somno, conuertit iter, neq;
 quò ceperat, pergere voluit. Hunc irridebat vt ti-
 midum vulpecula. Cui ille: Non ego quidem ti-
 midus sum, sed hoc tamen iter mutabitur.

Docet fabula, ne minimos quidem casus negligendos aut contemnendos esse.

LEO, APER, VVLTURES.

GAVDEBANT vultures, cum cernerent
 leonem pugnantem cum apro, & se victum

K +

atq;

atq; occisum depasturos esse sperabant. Cùm autem vidissent, illos omisso certamine pacem & fœdus facere, falsi spe deplorabant vanam expectationem suam.

Fabula monet, non esse lætandum ob mala aliena.

DE CAPREA ET FVRIOSO LEONE.

Conspecto leone furente: O miseram & infelicem conditionem bestiarum, inquit caprea. Si quidem etiam furiosos habituræ sumus leones, quorum mentis & rationis compotum læuitiam intolerabilem esse experimur.

Fabula deterret eos, qui in principatu sunt, & verū potiuntur, ne in iram facile delabantur, neue à potestate exeant.

DE ASINO GESTANTE SIMVLACRVM.

Gestabat impositum sibi asinus, nescio cuius diui, simulacrum: hoc cum adoraretur à prætereuntibus, ille animo elatus, quòd se adorari putaret, quærere de astantibus, quis nam esset, neque enim se asinum esse arbitrari. Tum vnus de illis: Tu quidem, inquit, asinus idem es, qui semper fuisti, sed nunc diui simulacrum geris.

Instruit principes & potentes fabula ad moderationem, & vt se similiter ac reliquos homines esse mortales meminerint.

DE FVERO, QUI VISCERA COMEDERAT.

In-

Ingurgitârat se puer visceribus festo die quodam: Quæ, cum non posset concoquere alius, frustra horum ille euomebat. Tum: O mea mater, territus exclamat, viscera euomo. Cui illa: Recede, inquit, mi fili, non enim tua, sed aliena ista bubula vomis.

Non oportere ait fabula grauari nos, si aliena reddenda sint.

DE CVLICE ET TAVRO.

Culex in cornu tauri residens, illum interrogabat, nunquid auolare se vellet. Cui respondit taurus, nihil interesse sua, vtrum maneret an auolaret. Vt enim non sensu accessiõem, inquit, tuã, ita ne discessionem quidem sensero.

Contra eos fabula narratur, qui sibi videntur esse sapientes, aut honorati, in stultitia sua & aliorum derisione.

DE PVERO ET SCORPIO.

Locustas puer captans, in scorpiũ incidit. Huic ille: Ne, inquit, attigeris me: Nam nisi à me abstinueris manum, locustas etiam, quas venatus es, cum dolore & gemitu proijcies.

Fabula monet, vitandos esse congressus improborum.

DE SVE ET MVRE.

Efuriens sus murem comprahenderat, quo famem sedaret. Hoc conspicati fabri, alter ostendens alteri ridebant. Tum mus semianimis: Ridetis,

K 5 in-

inquit, qui non potestis vnum suum enutrire.

Muli sua errata non cernentes, aliena acriter animadvertunt: atque contra hos fabula dicitur.

DE ASINO INDVTO LEONINA PELLE.

Pelle leonina indutus asinus territabat homines & bestias, tanquam leo esset. Fortè autem cōspectæ aures eminentes & longæ, indicarunt stolidæ superbientem asinum, ita in pistrinum abactus, pœnas dedit temeritatis & petulantiaæ suæ.

Fabula innuit, honores indignis collatos, ad ignominiam plerumque recidere. Diciturq; contra simulationem stultorum & gloriosorum.

DE HIRCO ET VITE.

Arrodentem pampinos hircum increpat vitis: Cur enim tu mea, inquit, folia carpis, quasi nihil præterea sit frondium. Cùm autem non faceret depascendi illos finem hircus: Quantum potes, inquit, noceto mihi, ego tamen vini tantum tulerò, quantum te mactato ad libandum Dijs factis fuerit.

Indicat fabula sæpè prodesse alteri eum, qui ledere voluerit. Ex extat græcum epigramma hac de re, de quo expressi sunt latini versus:

*Rode caper vitem, tamen hinc cùm stabis ad aras
In tua quod spargi cornua possit, eris.*

DE



Habebat in delitijs felem adolescens: eam vt
in puellam conuerteret, cum Venerem exorasset
lætus nuptias celebrat. Aderat & Venus cõiuuius:
Hæc volens periculum facere, cum formâ ne etiã
animum priorem exuisset, emittit in mediũ mu-
rem. At hunc intuita sponsa, quæ inter virgines
exornata assederat, commoueri quidem admo-
dum, sed se tamen repræhendere & continere.
Tũ Venus alterũ musculum emisit. Quo viso illa
non magis apud se, exilire, & oblita omniũ, mu-
sculum insequi cœpit, ex eo intellectum, difficul-
ter, vel potius nullo pacto naturã mutari posse.
*Fabula docet, ingenitos mores & insitam mentem
nulla arte posse transformari.*

C A P R E A.

Ad fonticulum constiterat fortè caprea, quæ
in aquis contemplanis imaginem suam, gracilia
&



& exilia crura sua vituperabat, commendabat autē cornua. Mox audita voce venatoris & canum, aufugiens, & inter dumeta cornibus adhærescēs, cum celeritate pedum periculum euadere potuisset: O me desipientem dudum, inquit, cui placeant saluti contraria cornua, crura verò displicerent, quorum beneficio retineri illa posset.

Docet fabula, sæpè peruerso iudicio homines, nocentibus delectari, & vtilia spernere.

DE VVLPE ET VVA.

Vulpes sublimem vuam dependentem de vite conspicata, ad illam subsiliit iterum atq; iterum, omnes vires corporis adhibens, si fortè attingere posset. Tandem defatigata inani labore, discedēs ipsa sese quasi consolans: At enim acerba nunc etiam, inquit, vuæ sunt, & ista imprimis austeræ, neq; si in via reperiatur, videtur tollenda esse.

De

De ijs fabula dicitur, qui necessitati obsequuntur, & libenter abstinent ab ijs, quæ obtinere non possint.

DE CORVO ET VULPE.



Sustulerat coruus alicunde caseum, & cum illo in altam arborem subuolârat. Vulpecula, quæ caseum concupiisset, ita illum adorta callidè fertur, cum primum formam & nitorem pennarum, & laudes augurij collaudasset, planè, inquit, te summi Iouis volucrem esse dicam, si audiero etiam vocem & cantum dignum reliquis virtutibus tuis. Coruus laudibus vulpis inflatus, clamorem edere quam maximum posset. Ita de aperto rostro delapso caseo potita vulpes, irridens illū: Nihil, inquit, tibi deest corue præter cor.

Fabula docet, assentationes & deridendos & comedendos alijs, vt Terentius ait, exponere eos, qui illis delectentur.

DE RANIS ET SOLE.

Latebantur ranæ, cùm nunciatum fuisset, solē uxorem duxisse. Tum vna vetula: O stulta soboles, inquit, nos vnus solis æstus & flammæ mecum, quid igitur fiet, si liberis ab hoc procreatis feruor multiplicetur?

Fabula indicat, multos esse ita amentes, vt malis proprijs gaudeant.

DE ASTROLOGO ET VIATORE.

Contemplans quidam noctu cœlum & stellas, in fossam, quam ante pedes traductam non viderat, incidit. Tum alius eadem iter faciens, cùm de gemitu illius ac oratione, quod acciderat, cognouisset: Optimè, inquit, tu qui os in cœlum erigebas, terram potius intueri debueras.

Fabula ostendit, reperiri quosdam, qui futura prædicere non dubitent, cùm quæ ante pedes sunt, non videant.

DE EQVO ET CERVO.

Tenuerat equus pratum aliquantisper solus, postea cum in illud & cervus ventitaret, & pabulum consumeret, cupidus ille vindictæ, quarit ab homine, vtrum ope ipsius adiutus, iniurias cerui vlcisci possit? Cui respondit homo, posse, frenum si recipiat equus, & se conscēdi patiatur ab armato. Annuente autem equo, tantum abfuit, vt de ceruo speratas pœnas sumere liceret, vt etiam ipse in seruitute deinceps viuere cogeretur.

Fa-

*Fabula monet, ne cum vllotam graues inimicitias
exerceamus, vt ledendi illius cupiditate malum etiam
nobis non dubitemus accersere.*

DE SENE ET CONCVBI-
NIS ILLIUS.



Senex, cuius caput respersum iam erat canis, habebat concubinas duas, moribus & ætate dissimiles. Nam altera iuencula & lasciuior: altera ætate prouecta & seuerior erat. Vt igitur ad harum alteram forte accesserat, ita crines non similes suis dormienti vellebantur. Carpebat enim iuencula albos, senior verò nigros. Tandem ille caluo capite omnibus risui fuit.

*Fabula narratur ijs, qui se contrarijs & pugnanti-
bus negotijs occupat.*

DE

F A B V L Æ
DE AQUILA ET MO-
NEDVLA.



Aquilam rapientem anguem conspicata monedula, idem de ariete facere conatur, sed in villis pecudis cum vngulæ implicitæ essent, capta à pastore, & dono data filio fuit, qui illa in ludo per monedula postea, quæ sua opinione aquilæ par fuerat, usus est.

Deterret fabula ab affectandis ijs rebus, quæ res maiores sint, quàm vt nos assequi posse videamur.

DE CORNICE SVPERBIENTE ALIARVM AVIVM PENNIS.

Cornicula collectas pennas de reliquis auibus sibi accommodauerat, & superba varietate illa, reliquas omnes præ se auiculas contemnebat. Cū forte

fortè hirundo, notata sua penna, aduolans illam aufert, quo facto & reliquæ postea aues quæque suam ademere cornici, ita illa risum mouit omnibus furtiuis nudata coloribus, vt ait Horatius.

Significat fabula, commendatam speciem neque diu durare, & perleui momento dissolui.

STRUTHOCAMELVS.

Struthocamelus, quem Latini passe rem marinum dixere, auis in Aphrica est, penè bestia, bipes quidem illa, sed vngulis similibus ceruorum. Eadem alas habet, sed supra terram non eleuatur. Quodam igitur tempore, cum bellum grauissimum esset inter volucres & bestias, capta hæc à bestijs, vt auis pro hoste habebatur: At illa pedes ostendens, num auis illi viderentur, interrogabat. Itaque deceptis bestijs, tanquam ciuis tuta apud illas fuit. Paulo post in prælio capta ab auibus, auem se esse, alis & rostro probauit, ita & his imposuit.

Fabula notat eos, qui diuersis inserviunt quasi dominis, & tam hos, quam illos frustrantur.

DE HIRVNDINE.

IN foro, vbi iudicia fieri solebant, affixerat nidulum suum hirundo: huius pullos anguis læsit. Tum illa: O conditionem miseram, inquit, cum eo loco, vbi alijus suum obtinent, mihi potissimum vis & iniuria allata fuit.

Fabula de ijs dicitur, quibus specie bonitatis & honestatis nocetur.

BOVES ET LEO.

Pascebantur vnâ tres boues opimi in maxima

L

con-

concordia, itaq; facile ab omni incurfione fera-
rum tuti erāt, ac ne leones quidem aggredi illos
audebant. Tandem diffidio inter illos nato, & fo-
luta amicitia, finguli validioribus beftijs dire-
ptioni & prædæ fuere.

*Fabula docet, tātum inefse mali in diffenfione, quan-
tum boni in concordia reperiatur.*

DE AGRICOLA ET
CICONIA.



Inter græves cepit agricola & ciconiam. Hæc de-
precata ab illo vitam, non folùm innocentem,
fed etiam piam fe, & hominibus prodeffe com-
memorat. Nam & noftrum genus, inquit, vena-
tas beftias venatur ac deuorat, & effœtos fenecta
parentes geftat atque fubleuat. Huic refpondit a-
gricola: Credere fe vera efse omnia, quæ recenfue-
rit, fed inter nocentes captam, eandem oportere
pœnam fufferre, quàm illos.

Fa

*Fabula significat, similem quenque haberi ijs, cum
quibus consociatus, & inter quos deprehensus fuerit.*

DE CANE ET FRUSTO
CARNIS.



Ferebat canis secundum flumen decurrens rap-
tum alicunde carnis frustum, cuius imago cum
in aquis appareret, canis avidus, illam, quasi alte-
ram frustum vndis innatans, appetit, sed dum
pādit rictū, vt assumat, id quod tenuerat, amittit.

*Fabula docet, auaritiam & infinitas cupiditates
detrimentosas esse.*

ASINVS SALE ONVSTVS.

Asinus cum sale in urbem agitari solitus, cum
fluuius in via transeundus esset, in illum fortè
quodam tempore decidit, & cum surgeret, sensit
se non nihil onere leuatum, quod in aqua
sales deliquissent. Itaque postea semper in illo

loco collabi, donec agitator fraude intellecta, spongiâ a sino imposuit, quibus madefactis, cum sentiret esse pondus grauius, multò de inde, quàm antea vnquam celerius fluuium transijt, diligenter cauens, ne onus humectaretur.


Fabula docet, sèpè speratum commodum in deliramentum verti. Docet & hoc fraudulentos fraude circumueniendos.

C A M E L V S.

Camelus repanda à Ioue petebat, vt cornibus armaretur. Cuius ille stolidis precibus irrisis, etiâ aires mutilauit, vt non solum inermis, sed etiam deformis de cetero esset.

Monet fabula, ineptis precibus Deos non esse fatigandos.

L V P V S E T A G N V S.



Stabat supra agnum in ripa fluminis lupus, qui cum vellet, si deo orasset illum, hoc iure fecisse vide-

videri. Cur tu, inquit toruo vultu & minacibus
 verbis scelestis, puras vndas inquinās, ut ad me de-
 fluant turbidæ? Egone? inquit timens & trepidās
 agnus, qui infra te adstiti, & à quo ad me illæ de-
 feruntur. At enim maledicis, inquit lupus, neq;
 recordare, quam pœnam ob petulantiam linguæ
 pater tuus persoluerit, ante menses septem. Non
 ego tum, inquit agnus, procreatus fui. Scin verò,
 lupus inquit, quàm vastum reliqueris nuper cam-
 pum omnibus herbis nudatum? Nunquam hoc,
 inquit agnus, factum reperies, neque ego omni-
 nò, cum dentibus caream, facere potui. Tandem
 lupus: Tu quidem, inquit, satis dicaculus es & di-
 fertus, ego tamen lautè cœnare decreui, atque ita
 correptum agnum deuorauit.

Fabula narratur de impudentia facinorosorum.

VENATOR ET PASTOR.

Timidus venator dicit pastori, cupere se vesti-
 gium reperire leonis, & petit, si quod animadu-
 terit, demonstret sibi. Huic pastor: En tibi, inquit,
 hic propè adest. Rectè, inquit territus venator, ni-
 hil quaero amplius.

*Aduersus homines dicitur fabula verbis audaces,
 re ipsa formidolosos.*

DE RVSTICO ET EQVITE.

Postulabat à rustico eques leporem, quem por-
 tantem illum videbat, & quanti venderet roga-
 bat. Cùm autem accepisset quasi inspiciendum,
 adhibitis calcaribus equo, vna cum lepore auche-
 batur. Tum rusticus: Quid festinatione opus est,
 inquit, nam ego hunc portabam dono tibi.

Docet fabula, aliorum improbitati multa sæpè necessario condonari.

LUPVS ET ASINVS.

CONSPECTVM in pascuis asinum deuoraturus lupus, exoratur ab illo, vt prius spinam extrahat de iuxta in calce pedis posterioris. Sed dum lupus post asinum abit; percussus, & vertigine oborta humi stratus, facultatem dedit asino aufugiendi. Postea reuersus ad se: Cocus, inquit, qui es sem, cur medicinam faciebam?

Fabula ostendit, vix sine damno fieri, vt omisa arte quam quisque nouit atque didicit, ad aliam factuãdam aggrediatur.

TAVRVS ET HIRCVS,

CVM vrgeret taurum insequens leo, confugit ille ad hirci caulam, sed hircus in foribus resistere, neque taurum intrò admittere. Tum taurus: Nisi vtroque nostrum robustior premeret me, facile poteram tibi ostendere, quantò prestent tauri vires viribus hircinis.

Docet fabula, interdum iniurias & contumeliam debiliorum ferri necesse esse, propter metum validiorum.

AGRICOLA ET ANGVIS.

REPERTVM anguem frigore panè mortuum agricola misericordia motus, fouere sinu, & subter alas recondere. Anguis recreatus calore vires recepit, ac confirmatus, agricolę pro merito ipsius, summo letale vulnus inflixit.

Fabula demonstrat eam mercedem, quàm rependere pro beneficijs mali consueuere.

HIRVNDO ET LYSCINIA.

HIRVN-

HIRVUNDO quodam tempore in silvas longè
 euolauit, vbi reperit in solis locis suauissimè can-
 tantem lusciniam, in sempiterno mœrore atque
 luctu, ob Ityn filium suum, qui esset tam crude-
 liter puerili in ætate occisus. Hanc compellans hi-
 rundo: Mea carissima, inquit, tu, salue: quam ego
 hodiè primum post Tracicam cōsuetudinem in-
 tueor oculis meis. Sed agè, confer te ad homines,
 & nemora atq; silvas desere. Ibi enim mecū mul-
 tō commodius habitare poteris, vbi non feræ be-
 stia, sed homines ascultent carmina tua. Respon-
 dit huic luscinia: Sine, mea soror, me hic in solitu-
 dine vitam degere. Nam edificia & hominum v-
 sus memoriam veterum calamitatum mihi reno-
 uarent.

*Fabula docet, prestare foris & in solitudine viue-
 re quietè, quàm in vrbibus & frequentia hominum
 cum molestia.*

I V V E N I S S O M N I C V L O S V S.

D O R M I E N T E M quendam in medios sem-
 per dies, obiurgabant sui, & quidnam faceret in
 lecto tam diu, quærebant. Quidnam igitur cen-
 setis, ille inquit? Dicere iussus: Quoties, inquit,
 manè euigilo, assunt ad lectulum meum puel-
 læ duæ, quarum altera ad surgendum, & operis
 aliquid faciendum me hortatur, & ostendit
 quam turpe sit iuueni optimum diei tempus
 in lectulo conterere, atq; interdum græcum ver-
 ficulum accinit semisomni, cuius, vt opinor, sen-
 tentia est: Auroram tertiam partem operis per-
 ficere.

ficere. Ibi tum altera, nugari hanc, ait, & turbatricem esse quietis, qua nihil sit neque melius, neque dulcius, & qua vita hominum carere nequeat. Satis celeriter fieri ea, quæ diligenter fiant. Bonum si adipiscendum sit, quovis tempore rectè surgi. Malū si impendeat, nimis citò surrexeris, inquit, quamuis ferò reliqueris lectum. Hæc ego, inquit adolescens, inter conuicia mutua & altercatiões grauiſſimas disceptantes has audiens, cum dubitem vtri assentiar, diutius soleo in lectulo commorari.

Proponit hæc fabula imaginem nobis industrie atque socordiae, inter quas id est certamen, quod memorauit adolescens.

CRINES ALIENI.

CALVVS quidam alienos sibi crines sumpserat, Greci $\Phi\epsilon\upsilon\acute{\alpha}\chi\eta\eta$ vocant. Orto autem vehemētiore vento, deturbati illi in viam, caluitium relinquere manifestū, quod iridentesque præteribant, ille intuitus. Quid ridetis, inquit, à me ablatum esse, quod meum non erat?

Fabula docet, homines prudentes æquo animo ferre iacturam earum rerum, quas in se fortuna contulerit.

ASINVS VVLGI.

SENEX pater comitatus filio adolescentulo, asinum agebat ad mercatum, venditurus illum, si posset. Hos cōspicati in agro mercenarij: O homines stultos, inquit, qui vacuum asinum præ se agant potius, quàm vt alter ipsorum vehatur, cū hic ætate senecta, hic puerili sit imbecillior. Senex verum illos dicere sentiens, filium suum in
asinum

asinum imponit, neque multum viæ progressi, habent obuios notos sibi homines, qui beneuolentia, vt videbatur, erga senem mori, reprehendere, quòd ipse potius decursa ætate & annis grauis defatigaretur, quàm ad laborem adolescentulū filiū assuefaceret. Quos & ipsos rectè monere arbitratus, mutato consilio, ipse asinum conscēdit, & adolescentulum filium suum præire iubet. Nō multum itineris confecerant, cum audit & hoc culpantes quosdam, quòd tenellos pedes pueri exerceret itinere, ipse suis callosis parceret. Ergo assidere post se filium iubet. Cū autem incidissent in quosdam viatores, salutato illi sene, & de quibusdam alijs locuti, mox, ipsiusne esset asellus, an vteretur conducto, interrogant? Hic enim uerò suum esset dicebat, & se agere ad mercatum. Benè scilicet, inquit illi, venditurus es exanimatū tanto pondere vtriusque vestrum. Senex dicere & hos aliquid existimans, pedibus alligatis asini suspensum de pertica ipse & filius portare. Ibi uerò hoc videntium maxima reprehensio & vituperatio exstitit: alijs vt delirum ridentibus senem, alijs vt captum mente miserantibus. Tum ille tandem perturbatus animo, simul indignatione percitus, vt prope fluuium fortè adstiterat, asinum in aquas præcipitè dedit. Ita dum sermonibus hominum mouetur, asinū miser perdidit.

*Docet fabula, non oportere sapientes hoc agere, suas actiones vt vulgo probent, sed in consiliorum honestate illius beluæ multorum capitum notationes contem-
gere.*

F A B V L Æ 170
DE GLORIOSO IN IGNAVIA
BELLATORE.

Cū ad urbem quandā exercitus esset hostiū, præmissis paucis cohortibus, legiones & equitatus civium aduersus illos proficiscebatur. Inter equites vnus præ cæteris festinabat, & reliquorum se-gniciem inculcabat, atq; ante aciē, quasi qui mox configere cuperet, procurrebat cū obuiam habuit saucios quosdam, qui de leui prælio cōmisso referebantur in urbem. Tum ille, multo quàm antè lentiore gradu vti. Mox audito etiam fremitu & tumultu pugnātiū, prorsus subsistere. De quo cū quidam quid accidisset, & vbi illa gloria vetus esset, quæreret: Quid tu, inquit, me solū hostium vim sustinere posse credebas?

Insectatur fabula illos, quib. nihil est verbis fortius neque audacius, dum periculum abest, re autem ipsa et in discriminibus nihil ignavius neque meticulosius.

R V S T I C V S.

QVI in arborē adscenderat rusticus, de illa delapsus, grauitè femur dextrum læsit. Huic alius fortè præteriens se cōsiliū daturum dixit, quo vsus nunquam de arbore caderet. Vtinam, inquit ille, ante casum meum dedisses, sed profuerit tamen etiam in posterum, dicigitur. Tum ille alter Caue inquit, ne velocius terram repetas, vnde adscendisti, quàm in arborem ipsam euaseris.

Fabula docet, sepè cunctationē & moram esse laudabilem, maximè ijs in rebus, in quibus festinatio damnosa esse possit.

GAL-

GALLVS REPERTOR VNIONIS.



Gallus gallinaceus in iterquinio, dum nictum eruit, vnionem reperit. Quo cōspecto: Quid mihi, inquit, tam preciosa re inuenta opus est? Me tritici granum oblatum magis iuaret. Nulli enim vsui mihi esse potes. Neque item ego te tollere, & honorem ac ornamentum tibi conciliare scio. Ita in neutro alter vtilitatem aliquam reperit.

Fabula dicitur ijs, quib. indignis sæpè fortuna splendorem & bona offert, quæ & ipsi sustinere nequeant, & sæpè etiam infamare soleant.

CANIS ET OVIS.

Postulabat in iudicio canis ouem debiti, quod repeteret mutuum modiorum trium frumenti: testimonium dicebant, lupus, miluius, accipiter. Victa ouis & cōdemnata, sola enim erat, & planū fecerat testibus, deberi sibi frumentum canis, quam-

quamuis non deberet, coacta iudicatum soluere, ante tempus tonsuræ vendidisse lanas dicitur, quorum precio frumentum mercaretur, & cani satis faceret.

Fabula docet, à malitia potentiorum nullius innocentiam tutam esse.

LEO, IUVENCA, CAPRA,
OVIS.

Societatem iunxerant leo, iuuenca, capra, ovis. Parta autē præda, in portiones æquales quattuor diuisa, leo, prima, ait, mea erit. Debetur enim hæc præstantiæ meæ. Tollam & secundam, quam meretur robur. Tertiam vendicat sibi eximius labor & defatigatio mea. Quartam qui suam esse voluerit, is sciat se habiturum me inimicum. Quid facerent imbelles bestię, aut quis refragari leoni, vel illum infestum habere sibi vellet? Vniuersam igitur ipse prædam solus tenuit.

Hac fabula docemur, ijs, qui potentum consuetudini implicentur, insolentiam horum ferendam esse.

FOETA CANIS.

Canis grauida, cūm partus instare tempus sentiret, impetrauit ab altera cane, sibi vt paulisper, dum onere catulorum liberaretur, cōcederet tuguriolo suo. Postea cūm catuli iam valentes facti essent, repetere habitationem illa suam, quod eius vsu satis longo tempore se caruisse diceret: Et nisi bona gratia suum obtineret, omnia esse experturam se aiebat, vt recuperaret domicilium suum. Cui hæc: Quid minare, inquit, quin potius hinc nos eijsis? vt potiatur tuguriolo, qui viribus præstiterit.

Es-

*Fabula significat, sæpè circumueniri blanditijs ho-
mines, vt contra se arment & augeant inimicos suos.
Atque hoc etiam monet, ferè esse in caussa meliore eum,
cuius potestas plus possit.*

APER ET ASINVS.



Obuiam factus apro asinus, crebros cachinnos
erudens, etiam familiariter illum compellare nō
dubitauit: Salue mi fratercule, inquit, salue. Quā-
diu est, quod te his in locis non aspiciamus? Vbi nā
gentium moratus? & percunctari deinde, nūquid
afferret noui? Quid narraret? Postremò etiam
suam operam illi deferre, & rogare nunquid vel-
let? Aper cū irritaretur ineptijs stolidi aselli, i-
ratus caput quassans: Non tamen ego, inquit, fa-
tui istius sanguine contaminabo fauces meas, &
præterijt, relinquens ignauum & vecors animal.

*Fabula duo monet, alterum, vt potentiores venia n
inter*

interdum dare stultitiæ discant: alterum, ne cōtra præstantes se stolidè humiliores inferant.

MVLIEBRIS LVCTVS.



Mulier, quæ paulò antè virum suum extulerat, quotidie ad sepulcrum illius ventitare & plorare consueuerat. Hanc conspicatus arator, captus amore illius, affedit & ipse lachrymans ad sepulcrum, ac interrogatus cur fleret? Quidni fleam, inquit, cum amiserim formosissimam vxorem, quam nuper sæuissima mors ademit mihi? Neque ego dolorem, quem illa mihi reliquit, aliter, quàm plorando leuare possum. Idem, cum gemitu & eiulatu inquit illa, & mihi vsu venit miseræ. Sed si fortuna eadem, inquit arator, vtriusque est, cur non potius, quàm lachrymis conficiamur, corpora nostra coniungimus? Nam ego te non minus caram habiturus sum, quàm vir prior habuit, & te eandem benevolentiam præstituram mihi confido,

fido, quam mortua vxor mea quōdam mihi præstitit. His verbis, sibi vt nuberet, mulieri persuasit. Atque re confecta reuertens in aruum, vbi ad aratrum boues reliquerat, nusquam illos reperit: Nā fur interea, qui inuenisset sine custode, illos abegerat. Plorare igitur ille & lamentari. Tū mulier accurrens, consolari eum, iubereque indubitanter sibi non minorem à se beneuolentiam polliceri, quam in priore vxore esset expertus, & blādius etiam complecti. Cui ille: Priores quidem lacrimas restinguere facile fuit, sed hæ, nam de animo profuunt, tam citò non poterunt arescere.

Docet fabula, & luctum muliebrem esse consolabilem, & fraudulentos sæpè in fraudem incidere, & dolorem non fictum difficulter eripi.

SIMIÆ.

REFEREBATUR quondam in conuetu simiarum, de condenda vrbe, quam simiarum genus teneret atque incoheret, placebatque plerisque etiam hac in parte hominū imitari industriam. Sed hoc ætate alijs prouectior simia magnoperè dissuadebat, contraque innumera commoda, que audiverat à multitudine commemorari, vnum aiebat malum inesse in re, quod opponi posset, quia intra mœnia, quasi cauea inclusæ, omnibus validioribus bestijs præda futuræ essent.

Monet fabula, non solum videndum quid in aliqua re boni, sed etiam quid mali insit. Item hoc: Perperam consulta & deliberata, finem habere infelicitatem.

OLIM mus ruri genitus & educatus, vr̄bis alterum murem incolam & habitatorem ad se inuitavit, eumque deductum in nequaquam splendidum cauum suum, quamuis esset ætate & cura ad rem attentior, accipit tamen liberaliter, neque in sua paupertate quæritu parcat, sed omnia promittit benignè & libèter. Apponit hospiti igitur ciccer, quod pridè ad festos dies celebrandos & lautiores epulas seposuerat. Substernit illi auenam, vuarumque plerosque, sed & alios quosdam acinos aridos profert. Tum etiam frustula succidiæ. Cupiebat enim omni ratione opiparam cœnam dare hospiti, & varietate vincere singulorum fastidium. Atque hic superbè & contemptim arrode re dapes, cum paterfamilias ipse in recenti palea accumbens, farre & lolio pasceretur, & cibos vntiores magisque delicatos relinqueret hospiti. Qui tamen, neque studium, neque voluntatem illius boni consulens: Quæ, inquit, stulte dementia est, vt hæc sola loca siluarum atque montium incolere in omnium rerum penuria libeat? An non venit in mentem tibi, mortalem vitam omnibus animantibus naturam esse largitam? In qua, dum durat, si tibi benè facias, tamen esse hoc haud longinquum. Si verò occasionem istam amiseris, nunquam in morte postea eadem oblatum iri. Quod si te fortè miseræ & famis, atque huiusce cultus & victus asperi poenitet, agè in vr̄bem te mecum & ad homines confer, vbi in summa copia degere, & maximis voluptatibus perfrui possis. Mouè te ista animum rustici muris, & mox: Imus igitur, inquit

Inquit. Profecti igitur, cum strenuè reptassent, ve-
nere tandem ad urbem.

Iamq; ferè mediam cœli nox humida metam

Contigerat, fusiq; vrbis per mœnia cuncti

Conticuere, sopor fessos complectitur artus:

Cum domum subeunt hominis diuitis, & omniũ
rerum copia abundãtis, in qua manebat vrbanus
musculus. Atq; ibi inductus rusticus in tricliniũ,
collocatur super auratos eburatosque lectulos,
qui purpuratis & conchiliatis vestibus essent in-
strati. Ipse de reliquijs, quæ erant varia & multi-
plices, agitati pridie illius diei cõuiuij, afferre se-
dulò bellissima quæq; & ministrare studiosè hos-
piti, vtq; hilare vescatur ijs, quæ maximè placeãt,
hortatur. Rusticus inter hæc beatum se putare, &
in summa læticia lautissimis cibis sese replet, e-
amque vitam expetendam, suam miseram prædi-
cat: cum subito fores strepunt, & cardines sonãt.
hominumque & canum voces exaudiuntur. Ibi
cõuiuq; musculi discurrere & trepidare, in primis
autẽ rusticus, cui, vt externo, omnia essent insue-
ta & ignota. Tandem reddito silẽtio, & turba se-
data, tremens toto corpore, & subsiliente corde
rusticus: Non mihi placet hæc vita, & vale, inquit
amice. Ego intra siluas & montes ad tenuem vi-
ctum & cruilas meas reuertor. Malo enim in se-
curitate pauper, quàm in opulentia maxima, soli-
citus semper & anxius viuere.

*Docet fabula, optimum esse, vt quisque sua sorte cõ-
tentus viuat, neque splendore fortunæ ad curas & an-
xietates occultas inuitari se patiatur. Hanc Horatius*

M

fabu-

*fabulam copiosè versibus descripsit, lib. ij. Satyra vj.
Quem locum nos quasi reddere studuimus expositione
nostra.*

AQVILA ET CORNIX.

Ferebat vngulis testudinem aquila, quam ro-
stro sæpè frustra tundeat, perfringere enim non
poterat. Huic occurrens cornix: Consilio, inquit,
opus est hera: non enim vires omnia conficere
possunt. Puto enim & te audisse quod fertur:
Consiliū est melius, quam vis, cum ligna secantur.
Consilium incolumem sæua inter flamina nauē
Ventorum, motis pelagiq; gubernat in vndis.
Consilio celeres superantur in æquore currus.

Consilio igitur & ratione tu quoq; potiere esca
intra testam abdita, non vi. Quid igitur suades, vt
faciam, inquit, aquila? In altissimas coeli plagas
subuolabis, inquit cornix, atq; inde demittes in
hæc rupem testudinem, ita afflicta ad saxum rum-
petur testa, & caro nudabitur. Paruit aquila, & ita
vt censuerat cornix, fecit, ac testudo quidem com-
minuta, sed cibo aquila fraudata fuit. Nam pri-
usquam illa deuolare posset, cornix deuorauerat
omnia.

*Docet fabula, calliditate consiliorum munitissima
quoque expugnari.*

LEO SENEX.

LEO confectus senio, vix debilia membra tra-
heas, amissis viribus, ab animantibus reliquis nō
modò contemptus, sed vltro etiam appetitus
fuit vsque adeo, vt a felis quoque inertissima be-
stia, calce ferire miserum non reformidaret. Tum
for-



fortunā ille deplorare suam, & meminisse, quanto olim robustissimis quoque beluis terrori fuisset, qui nunc ea contumelia, consumpto robore, afficeretur.

Fabula potentes & honores atque magistratus consecutos hortatur, ut ita se in illis gerendis teneant, ne cum vel fortuna mutata, vel hi depositi fuerint, alijs ipsi ludibrio sint.

ASINVS ET CATVLVS.

Videbat asinus amanter complecti patremfamilias catulum, qui insiluerat in gremium illius. Idem & ipse igitur sperans, si pariter assultaret domino, euenturum sibi, in illum se infert, & ut rebatur, abblāditur hero. Sed hic ineptias & peruersum studium repulit, & fustibus correxit stultitiam illius.



Docet fabula, ne affectemus ea, quae natura negavit, neque obtrudamus inuitis officia nostra.

LEO ET MUSCULVS.

Lasciuè discurrentes circum leonem dormientem musculi, vnum ita agitauère incurfione fua, vt in dorfum beftiae deferretur. Qui à leone captus, deprecari vitam fuam, & excufare imprudẽtiam facti. Leo, etfi erat commotus, ignouit tamen musculo, & tam contemptum animalculũ inuiolatum dimifit. Paulò poft incautius prædã veftigans, in laqueos incidit, quibus astrictus, rugitum maximum edidit, ad quem procurrens musculus, cernensq; in vinculis eum, qui fibi dudum vitam petenti concessiffet, gratiam pro beneficio
rela-



relaturus, accedit ad laqueos, & illis corrosis leonem omni periculo liberat.

Docet fabula, nullius exiguitatem atque impotentiam spernendam, & gratiam beneficijs referendam esse.

HIRUNDO ET AVICULÆ.

Cùm linum fereretur, monuit reliquas auiculas hirundo, secum vt eruerent semina, de quibus relictis exoritura esset herba nocentissima auiculi generi. Sed hoc illis cùm non probaret, rursus enatam primùm & teneram herbam vt euellerent hortatur. Cùm verò neque hoc facere vellent, ipsa de siluis & solitudinibus, ad hominum consuetudinem, & in oppida se contulit. Paulò post maturum linum carpitur, & retia nectuntur, &

M 3

capi-

capiuntur auiculæ, serò deplorantes neglectione
salutaris consilij.

*Fabula ostendit, verum esse quod dici solet: Qui con-
siliium bonum respuat, eum accersere perniciem sibi.*

DE RANIS ET IOVE.

Petisse quodam tempore à Ioue ranæ dicun-
tur, sibi vt regem præficeret. Exoratus Iupiter, tra-
bem ingentem in lacum deiecit. Quo sonitu tur-
bata ranæ, refugere primùm, mox tamen specu-
lari, quid accidisset. Cumq; trabem aspicerent na-
tatem in aquis, subito in illam inuasere, cum ma-
gno contemptu, & per risum salutant appellan-
tes regio nomine. Tum Iupiter immisit illis an-
guem aquaticum, Hydram vocant: A quo cum ca-
pti manderentur, serò stulti voti dementes ra-
nunculos poenituit.

*Fabula monet, ne, cui fortuna libertatis vsum con-
cessit, is seruitutis iugum induat.*

MILVIUS ET COLVMBÆ.

Miluij metu accipitrem adsciscunt columbæ, à
quo defenderentur. Accipiter admissus, quasi cō-
tumaces castigans, plus stragis vno die in colum-
bari edidit, quàm longo tempore euolantibus
dare miluius potuisset.

*Indicat fabula, malorum & crudelium patrociniis
esse cruenta.*

FVR ET CANIS.

Fur allatranti cani offerebat panem. Cui canis:
At nunc ego, inquit, satiatus, cum tu domum no-
stram compilaueris, me silente, vnde mihi mox
cibum petā, aut quomodo sedabitur fames mea?

Fm



*Fabula docet, cauendas fraudes fallacium, neque fa-
Et illorum, sed consilia spectanda esse. Referritur & ad il-
lud potest quod à Iurisconsultis memoratur.*

Tolle voluntatem, nec erit discrimen in actu.

*Quæ sententia in conuiuio Platonis elegantissimè me-
moratur. Exposita & à Gellio, libro 17. cap. 20.*


SCROFA ET LUPVS.

Accedens ad scrofam parturientem lupo, ob-
stetricis se munere functurū pollicetur. Cui scro-
fa, metuens fuculis suis, si ederentur lupo præ-
sente: Imò tu obstetricem, inquit, adducito. Nam
pudore prohibeor, quò minus in tali re virili mi-
nisterio utar. Atq; ita ablegato lupo, enisa nume-
rosam foetū, in tuto hunc collocat, & paulò post
reuerfum lupo deridet.

Fallacium iniurias sæpè fallacijs repelli, docetur.

M 4

MONS



M O N S P A R T V R I E N S.

Mons tumens & ingemiscens, quasi partus instaret, maximos metus & terrores incusserat humano generi, cum subito mus prodiit. Itaque anxietas hominum in risus euasit.

Indicat fabula, expectationem singularem ad maximas sæpè nugas recidere. De qua re & prouerbio dicit Horatianus versus solet :

Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

L V P V S E T H O E D V S.

Exiens in pascua capra imperat hœdo, ne cuius aulæ fores ante vesperam pandat. Vix fuerat profecta, cum aduenit lupo, & in quantam exilitatē poterat deducit vocem, ut caprę similis videatur, & aperiri sibi postulat. Cui hœdus fraudè intellecta: Imberbes, inquit, animantes admitti mater vetuit.

De.

Docet fabula, salutem conseruari iuuentutis, obsequio & obedientia parentum & magistrorum.

DE CERVO ET OVE.



Petebat ab oue debitum frumentum ceruus, idq; teste lupo. Ouis territa, fatebatur à se deberi illi frumentum, & præfiniri diem passa est, qua persolueret. Ea cum aduenisset, instanti ceruo, vt frumentum curaret sibi afferendum: Quare, inquit ouis, mi cerue, in granarijs diuitū, nam mihi nullum est conditum domi meæ Promisisti inquit ceruus, te hoc die redditurum mihi frumentum, confessa deberi? Ita factum, inquit ouis, quia tum pelli metuebam meæ.

Fabula docet, quod vi gestum contractumq; sit, ratum haberi non oportere.

MUSCA ET CALVVS.

Pungebat sæpè caluum musca, nota est enim

M S

LII

huius improbitas, itaq; ille palmam caluæ infligere, vt illam opprimeret, quæ subinde fuga elapsa deridère senem. Cui ille: Rideas, inquit, licet, me tamen ista pulsatio non admodû lædit, tibi autem inflicta vna plaga contritæ interitum afferet.

Contra leuitatem narratur & petulantiam impotentium & humilium.

VULPES ET CICONIA.



Vulpes ciconiã cū inuitasset, apponit illi iusculum in catillo: hanc ipsa liguriens, hortatur per iocum ciconiam, ipsa quoq; vt vescatur, & boni consulat, quod appositum sit, præsentiq; copia fruatur. Quid faceret ciconia, quæ se fraudari cibo, derideriq; cerneret? Nihil igitur, inquit, requiro, & curata omnia sunt lautè & abundè. Sed vt gratia tibi referatur, venies ad me quoq; cœnatum perendiè. Quid opus est, inquit, ludificans vulpecula? Nolo te mea causa sumptus facere.

Cus

Cur, inquit, illa, tã grauatè? promitte verò. Fiat, inquit vulpes, etsi alio vocata est opera. Abit ciconata, & vasculum sibi parat vitreum, oblongum, & collo angustiore, in quod opiparas & delicatissimas escas indit, & vulpi, quæ ad cœnæ tempus affuerat, proponit. Tum ipsa glutire bellissimos cibos, iubereq; vulpem edere, & paratis libenter uti. Vulpes se benignitate acceptam videns ea, qua nudiustertio ciconiam ipsa accepisset: Nihil, inquit discedens, queror. Nam qui alios fallere volunt, ipsos quoque falli interdum oportet.

Ostendit fabula, circumventiones & dolos plerumque reuerti ad auctores illorum.

CRABRO ET MVLA.

Crabro inuolans in caput clitellariæ mulæ: Quin moues te, inquit, & gressus incitas? An ego te, lentam viatricem, nisi pergis, instigabo? Cui mula: Non ego te curo, inquit, sed fustes & stimulum illius, qui me sequitur, mulionem significas, à quo si mihi quietæ esse liceat, tuos facile, mi crabruncule, impetus pertulero.

Contra vanitatem hominum narratur fabula, qui cum nocere non possint, ab interminationibus tamen nequeant abstinere.

MVSCA ET FORMICA.

Præferens se formicæ musca, illam abicere verbis, & se extollere. Vide enim, inquit, quanta sit humilitas tua: Caua loca terrarum incolis, & perpetuò humi reptas, magno cum labore tenuè victum quærens. At me alæ in sublime ferunt, & accipiunt mensæ regię, auro & argento

ego



ego eadem bibo, delicatissimis cibis vescor, purpuræ incubo. Quin etiam molliſſimas sapè genas formosarum deosculor. Fastidiosæ & inflatæ opinionone felicitatis respondit formica: Etiam hoc adde, improbitatem tuam inuisam & odiosam esse omnibus, contra te flabella & venena parari. Itemq; hoc, modica anni parte durare hanc beatam vitam tuam, dum sol feruet, hieme & frigoribus statim occidere. At ego æstate mediocri labore exerco, vt hieme quietam & securam vitã possim degere.

Fabula hoc ait: Qui quæ vult dicit, ea quæ non vult audit. Et h. c: Non esse in paruis commodis, sed sine magnis incommodis vitam beatam.

LVPVS ET VVLPES.

Sumptèrant arbitrum de lite quodam lupus & vulpes, simium. Coram quo, cum grauiſſimè alter alterum accusaret, & mutua sibi conuitia atque

que probra ingererent, neque criminandi facerent finem, tum iudex, silentio imperato: Te, inquit, ô lupe, scio nullam rapaciorem, & te, ô vulpes, non aliam magis fraudulentam esse bestiam. Inter vos igitur de cætero amicitia & pax, sed reliquorum animatum, tam humani, quàm beluini generis, maximum erga vos odium esto. Hæc mea sententia est.

Docet fabula, non moueri nos dissensione & rixis in proborum oportere, sed omni tempore illos, & arbitrari arctissimo vinculo prauitatis coniunctos esse, & auersari atque odisse.

MUSTELA ET PATER-
FAMILIAS.

Capta mustela petebat amitti se, quæ ipsa familiae utilis esse, & mures præhendere soleret. Ita est ut dicis, inquit, illum qui ceperat, sed hæc opera non mihi datur, neque meis seruit, sed primum tui ventris gratia muribus insidiaris, deinde infesta illis es, qui arrodendo reliquias victus mei, tibi diminuant partem. Quæ igitur non debetur tibi venia, eam ne petas.

Dicitur fabula contra illiberalitatem eorum, qui solent, ut Comicus ait, cum nihil promereant, postulare id gratia apponi sibi.

RANA CREPANS.

Conspicata bouem opimum rana, etiam se posse exæquare magnitudinem illam, si contractam & rugosam pellem, explicuisset, sperabat. Cum igitur se inflaret rogat suos ranunculos, quàm longè à bouis mole abesse videatur? Per, inquiunt illi, ne



li, nostra matercula, permultum. Tum inflare se
 illa vehementius & quæ videatur rogare iterum.
 Ibi vnus, vt Horatius loquentem fecit de pullis:
 Non si te ruperis, inquit, par eris.

*Stultitia repræhenditur eorum, qui adspirant ad non
 sperandam excellentiam.*

VESPERTILIO TRANSFUGA.

Bellum gerebant bestia cum volucris, cum-
 que videretur victoria ad has sese inclinare, ve-
 spertilio, quæ euentum expectarat, neque alter-
 utri patri adhuc sese applicauerat, cū bestijs cōiun-
 gitur. Mox fortuna mutata, vt hæc est belli varia,
 vicentibus virtute aquilæ volucris, ad aues illa
 reuolat. A quibus, vt transfuga, nudata pennis, ab
 amium conuictu exclusa, & ad nocturnos volatus
 damnata, poenas dedit perfidiæ.

con-



*Contra mendaces, & subdolos ac perfidos, hæc fabu-
la composita est.*

LUPVS ET VVLPES.

Copiosam prædam lupus in antrum congesse-
rat: accurrit vulpes, & blandè illum compellat, &
gratulatur aduentu prospero illius: Diu enim, in-
quit, à nobis abfuisti, & sollicitos habuisti mora
reuerfionis tuæ. Lupus vulpeculam assentatione
sua aliquid de præda sibi quærere intelligens:
Benè, inquit, habet, tibi tamè partem afferre non
potui. Falsa spe sua vulpes, & ad iram & vindictæ
cupiditatem conuersa, accedit ad pastorem, &
heus tu, quid mihi dare vis, inquit, si nunc tradi-
dero in manum tuam sempiternum hostem gre-
gis tui? Omnia quæ vellet promittente pastore, pau-
cos caseolos paciscitur, & illum ad specû lupi ar-
matum deducit, qui facilè hunc interemit. Po-
stèa vulpem venientem petitum mercedem
pro

proditionis, accersitis ad tempus destinatum veneratoribus objeit. Itaque illa sibi interitum imminere videns: Hoc, inquit, diuinum certè est iudicium, vt ego, quæ alterum fraude perdidit, fraude circumuenta inteream.

Fabula narratur, contra inuidiam, & docet, malos malè perire.

LUPORVM ET OVIVM
P A X.

Hæc antea quoq; exposita fabula, nunc paulò aliter commemorabitur.

Cum lupis bellum gerebant oues, atq; illis, adiutæ auxilio canum, semper pares, sæpè etiam superiores erant. Lupi, victoria desperata, ad oues legatos mittunt, qui pacem petant. Conditiones ferebantur, canes lupis vt obsides darentur ab ouibus, ipsæ catulos luporum acciperent. Cùm de omnibus conuenisset, pax iurisiurandi religione firmatur. Paulò post securis ouibus, cum fortè viderent catuli luporum, illi in miserias & destitutas omni ope, quasi violatores pacis, qui iniuria obsides acceptos affecissent, irruunt, & ita vt prius impunè illas rapiunt atq; vorant.

Monet fabula, vt eos, à quibus defendi nos sciamus, diligenter colere velimus.

SECVRIS ET LIGNA.

Factæ securi petijt à silua manubrium lignator silua ad eum vsum dedit stipitem oleastri. Tñ instructa ad cédendum securi, siluam lignator populari, & arbores truncare. Ibi fertur fraxino dixisse



dixisse quercus: Feramus æquo animo, soror, ma-
lum, quod ipsæ nobis acceriuimus.

Fabula monet, ne armemus nos cōtra hostes nostros.

CANIS ET LUPVS.

Admirans lupo nitorem corpulenti canis:
Quanta, inquit, frater felicitas est vitæ tuæ? Licet
igitur, inquit canis, mecum in urbem venias, &
eadem fruare felicitate. Dum vnâ pergunt, ani-
maduertit lupo in canis collo attritos pilos. Tū:
Iugū mne etiam sustinendum tibi est? inquit.
Cervix enim hoc glabræ indicat, vt videtur. Dic,
inquit canis, alligor, vt noctu sim acrior & vigilā-
tior, atque hæc vestigia sunt collaris, quod circun-
dari solet cervici. Hoc audito lupo: Vale, inquit
amice, iam nihil moror serulem felicitatē tuam.

N

Osten-



*Ostendit fabula, nihil esse libertate melius neque
præstantius.*

SIMIVS ET VVLPES.

Mea vulpecula, inquit simius, da mihi de cau-
da tua tam grandi & onerosa tibi portiunculam,
qua tegam patenter nates. Quam grandi? inquit
vulpes. Quod si illam esset necesse plastro post
me subuehi, tu tamen nunquam vno huius pilo
vestitior fieres.

Fabula hæc malignitatem locupletum notat.

ASINI PELLIS.

Aufer me mors, inquit afflictus oneribus & ver-
beribus asinus, & eripe miseris. Exaudiit inuo-
cantem illa se, & præsto fuit. Moritur asinus, at
pellis ipsius in tympana intenditur & exanimis
etiam tunditur.

*Dicitur fabula de pertinacia & assiduitate infor-
tunij.*

CER-



Exagitatus a canibus ad boues cofugit ceruus,
orans vt se tegere velint, & apud se delitescere pa-
tiantur. Non repudiant preces illius boues, sed
monent, vt de tutioribus latebris sibi prospicere
velit, aiuntq; vereri se, ne in stabulo deprehenda-
tur. Omne se periculum subituum affirmantem,
recipiunt, & fœno atq; stramine obruunt. Adu-
nit paulò post villicus, & negligenter ad boues
respicit, atque abit. Lætus ceruus se omne discrimen
euitasse sperat, sed cognoscit à bobus, mox
affuturum ipsum villæ & agrorum dominum, cuius
diligentiam & inspectionem si euaserit, tum
sibi certo salutem posse polliceri. Venit igitur pa-
ter familias, & ob malè curatos boues indignatur,
& quo quidque conditum ac repositum loco sit,
cognoscit & aspicit, ad pleraq; etiam manus ipse
admouet. Inter hanc curam & attentionem, ap-
parent cornua cerui, & ipse latens intra stramen-

ta, & à gaudente patrefamilias cæditur.

Fabula docet, qui ad alienos confugiant, si seruētur, singulari hoc fortunæ beneficio fieri, itaque malū haud ferè euadere. Docet etiam, diligentem curam, & considerationem rerum suarum unicuique esse fructuosam, & nisi aspectu heri domus illustretur, omnia esse in caligine: et tenebris, secundum hanc Aeschyli sententiā: Est domus oculus, assidua heri in domo presentia.

P A V O.

Conquestum grauitè apud Iunonem, auem illius propriam, pauonem accepimus, quod in tanta formositate & splendore pennarum vocis suauitate deficeretur, cùm luscinia tam nihili volucris illa abundaret. Cui Iuno: Rectè, inquit, non enim omnia in vnum bona conferri oportuit.

Fabula nos admonet sententiæ Homericæ: Non datur vt rebus præcellat in omnibus vnus.

P A N T H E R A.

In fossam de lapsa panthera, accurrentibus rusticis supplicat, ne se innocentem, & quæ nulli ipsorum vnquam damnum dederit, affligant. Hoc alij fieri oportere censent, alij insuper miserati illam, cibum offerunt. Neque defuere tamen, qui fustibus & saxis malè illam multarēt, & pro mortua semianimem relinquerent. Noctu panthera cùm vires suas recollegisset, saltu è fossa euasit, & in siluas se recepit. Postea in illius loci rusticos hostiliter grassabatur, ac metuentibus iratæ impetum vniuersis: Ego scio & noui, inquit, quibus meus casus dolori fuerit, qui mihi cibos proiecerunt, sed neque illi à me ignorantur, à quibus pul-
fata



fata & icta vulnerataque sum.

*Fabula monet, vt miseris & in mala precipatis
parcere velimus, ne fortuna instaurata accepta damna
& contumelias vlciscantur,*

VERVECES ET LANIVS.

Verueces, cum lanivus accederet ad ipsos, facile
passi sunt, etiam æquo animo tulere, vnum atque
alterum arripi de numero suo, & mactari. Quisq;
enim alterius malum negligebat, & se præteritum
esse gaudebat. Tandem cæsis vniuersis, relictus ve-
nus, cum & ipse inuaderetur: O stultos nos, in-
quit, & infelices, qui singulatim perpeti vim & cæ-
dem, quam communiter propulsare maluimus?

*Fabula ostendit, neglectiorem communis salutis et-
iam priuatam & singulorum salutem labefactare.*

AVCEPS LIPPVS.

Dum arundines construit, & spargit escam, au-
ceps lippientibus & stillantibus oculis, quicquid

ita illum erga se animū gerere clemētem & mansuetum, ratæ, aduolant propius, & aliquæ visco inherentes capiuntur. Quas videntes reliquæ aucupis morfu præfocari, & in sportellam conijci, auolantes: Heu quàm fallaces lacrimæ sunt istæ, inquit, quæ mortem attullere socijs nostris.

Fabula monet, vt caueamus, ne composita specie & ficta bonitate decipiamur.

V V L T V R.

Vultur iuuitatis auiculis ad conuiuium, quod illis daturus esset die natali suo, postquam hæc affuere ad tempus, clausis foribus domus, carpere & occidere singulatim omnes, & de iuuitatis epulas sibi instruere cœpit.

Fabula monet, voluptatis sectatores non prouisum in exitium incidere solere.

A S I N A F E B R I C I T A N S.

Febri correptam & grauitè laborantem asinā, cum morbus sæuus esset, inuisit lupus, & tangens æstuans corpus illius, vbi doleret potissimum interrogat: Ibi inquit asina, vel tantum vel maximè dolet, vbi tu me contingis.

Refutat fabula simulata improborum officia, & odiosas interpellationes maleuolorum.

H I R C I.

Tres hirci, vnum grandem, qui leonem fugerēt, procul conspicati, eum irridere & formidinem exprobare. Cui ille: Si quem fugio vos scia- tis, & idem adeatis periculum, non reprehende- ritis fugam meam.

Est

Fabula narratur contra temerariam ostentationem audaciae.

GLADIUS ET VIATOR.

Repertum enses in via interrogat, qui repererat, cui excidisset &, quisnam te perdidit, inquit? Huic gladius: Unus quidem qui proximè gestavit, me perdidit, sed ego permultos.

Fabula docet, facinorosos interdum ad interitū per exitia multorum peruenire.

VULPES ET GALLUS.

Conspectum prope villam gallum gallinaceum adoritur callide vulpecula: Et tuum, inquit, patrem noueram, atque illius suauissima voce saepe admodum sum delectata, neque te inferiorem eo esse video, nisi fortè vox deterior sit. Gallus probaturus, & illam parem vel maiorem in se esse, clausis oculis altissime exclamare cepit. Irruit igitur in hunc subito vulpes, & comprehensum asportat. Recognita villicus cum fuste insectatur vulpem, & familiam aduocat, clamans suum gallum à vulpe asportari. Tum Gallus: Audin tu hunc, inquit, quam loquitur de tua præda contumeliose? Quin igitur refellis superbum mendacium illius? Vulpes inflata sermone galli: Mentire, inquit, & addere volebat, tuum esse gallum quem ego cepi: At laxatis dentibus amissus gallus, in arborem subuolat, & irridet vulpem, quam captus decepisset.

Docet fabula, loquacitatem semper esse detrimensam.

MVLVS ET LVPVS.

Deuoraturus mulum lupus, qui vocaris tu? inquit. Egone? inquit mulus. Ita aio, inquit lupus. At enim, inquit mulus, nescio, nam oppido puillus parentes amisi meos: audisse tamen quasi per nebulam memini, de matre, in sculptum nomen meum esse in posterioris pedis dextri vngula. Si videtur igitur leges, & ad lupum posteriores pedes conuertit. Cui, quasi inspecturo scripturam nominis, ictu vehemente caput affligit, & effracto vngulam illi sit in ossa cerebro. Ille humi sternitur, at vulpes quæ omnia fieri cognouerat, irridet iacentem, ac: Heus tu litterate, istic nunc ludum aperies scilicet, inquit, & multorum nomina recognoscas?

Narratur fabula contra arrogantiam indoctorum.

V E R R E S E T L V P V S.

Verres agrè ferebat se non metui à suo genere, itaque deserere hoc statuit, & concedere ad oues. Vbi cum agnos admodum terreri grunnitu & iactatione capitis sui cerneret, ibi se facile honorè & dignitatem consecuturum sperans, remansit. Paulo post deprehensus extra caulam & comprehensus à lupo: Me miserum, inquit, quanto salutem quam dignitatem quærere satius fuisset.

Ostendit fabula, æquabilitatem vitæ, respiciendam non esse.

I C T I S E T V V L P E S.

Ictis est è mustelærum genere siluestris quadrupes, cuius pelle obduci quondam galeas solitas tradunt. Quodam tempore cum vulpe igitur ictis

iter

iter per patentem campum faciebat. Eam vulpes interrogabat: Quid rerum aut artium didicisset? Illa, nihil quidem se tenere respōdit, præter mediocrem saltandi rationem. At ego, inquit vulpes, centum artibus instructa sum, quarum quavis, & ad necessaria victui paranda, & ad vim atq; cōtraria omnia propulsanda, satis esse possit. Ictis igitur venerari & beatam prædicare vulpem: se verò futilem & vita indignam animantem perhibere. Inter hos sermones exaudiri eanum latratu: itaque adesse venatorem ictis conijciens: In fugam, inquit, nos demus, audio enim hostiū nostrorum vocem. Placide, inquit vulpes: Nondū enim necesse est accelerare fugam. Cū autem clarior fieret latratus, fugiamus igitur, inquit vulpes. Cui ictis: Neq; mihi confirmata verbis tuis, nimis festinandum videtur, sed iam conspectis canib; fugiamus sanè, ait. Atq; ipsa in proceram statim arborem saltu euasit: Vulpes verò in aperto campo facilè à canibus deprehensa fuit. Quam ille irridēs, vt vnam promat hortatur de centum salutaribus artibus suis, nunc enim necesse esse. Ita misera vulpecula & derisa & dilacerata fuit.

Fabula narratur, contra gloriatores vanos, & ostentatores mendaces.

L V P V S E T H I R C V S.

Hircus euaserat lupum insequentem in rupē, in quam peruenire ille non posset. Vbi aliquantisper lupus cū obsedisset eum, tandem fame depulsus, sitienti tum hirco ad fluuium vicinum descendendi facultatem dedit. In fluuio autem

cornua procera, & crura leuia, contemplatus hircus, placere sibi, & se incusare, qui lupum fugisset. Lupus stultum immorantem in fluuio, & aspectantem imaginem suam, clanculum adortus comprehendit, & iam frustra deplorantem suam vanitatem asportat atq; deuorat.

Contra stultitiam superborum fabula narratur.

ASINVS ET LVPVS.

Conspicatus asinum lupus, in eum irruit, ac: Nunc famelicum, inquit, ventrem saturabis meū. Cupio, inquit asinus, nam sæpè mortem exoptaui, quippe qui sempiternis laboribus conficiar, oneribus ferendis & plagis patiendis: ego enim de lacu musta, ex area frumentum, ex sylua ligna, ac montibus saxa, de granarijs triticum ad pitrinū deportare cogor. Sed si videtur, de via me deductum in istam vallem, mactato, ac vinctum quidem. Assentitur lupus, itaq; rectè connectuntur. Tum asinus iter versus villam, vbi seruebat, facere, & lupum, admodum quidem renitentem, ad conspectum hominum attrahere, quibus ferramentis eum petentibus, cum vnus incerto ictu restim, qua illi inter se alligati fuerant, dissecuisset, malè mulctatus lupus in siluam fuga euasit. Asinus autem gaudio & lætitia exultare, & clarum rudere. Quo audito: Quantum vos, inquit, lupus, & clamoris ede, nunquam tamen efficies, vt ad te iterum annectar.

Dicitur fabula, consilijs inimicorū & maleuolorum non esse parendum. Et, sapere stultos damno accepto.

CA-

Æ S O P I C Æ.
CANIS IN PRÆSEPI.

3
20



Frendens canis dentibus, & allatrans nonnunquam in præsepi iacebat, à quo boues terrebantur, neque admittebantur ad pabula. Cui vnus: Quanta ista, inquit, inuidia est, nō pati te, vt eo cibo vescamur, quem tu capere nec velis nec possis.

Fabula de prouerbio composita est, quo notatur inuidie malignitas.

DE MENDACE PVERO.

Puer custos ouium crebrò per lusum magnis clamoribus opem rusticorum implorabat, contra incursiones luporum. Sæpè autem frustratus eos, qui auxilium illi laturi aduenerant, tandè lupo irruente cum lacrymis clamare, & orare miserabili voce, vt subueniretur sibi & gregi. Qui audiebant, ludere illum pariter vt antè, arbitrati, neglexerunt preces & implorationem vani pueri.



pueri, ita liberè in oues grassatus lupus fuit.

Fabula docet, hoc consequi mendaces, ut verū etiā dicentibus nemo credat. Hanc de nugatore & plano, qui se crus simularet fregisse, Horatius exposuit.

APICVLA ET IVPITER.

Quòd suos labores ab hominibus compilari apicula agrè ferret, elegantissimè constructos fauos Ioui obtulit, & ab illo petijt, letiferam ut auculeo suo vim adderet. Iupiter immanitate bestiolæ offensus: Immò potius vitalem vim tribuam, inquit, ut vna cum illo tibi vita relinquenda sit.

Fabula ad sententiam Herodoti est composita: Immodicas pœnas dijs non probari.



P V L E X C A P T V S.

Quid tu, inquit, es animantis? qui pulicem noctu ceperat. Qui se respondit eum esse, qui, ut à natura ad exfugendum de humano corpore sanguinem procreatus sit, ita noceat nemini, præterquam quòd cutem leuiter pungat. Quare non debere illum infantis cede polluere manus. Interrogatus autem, Boni ne aliquid facere possit? Neque boni neq; mali ferè quicquam, respondit. Moriere igitur, inquit ille, quippe qui molestus mihi fueris, cum nec lædere magnoperè, neq; pdesse omninò possis.

Docet fabula, prauis, quanquam non magna damna possint dare, tamen melius esse vt remoueantur.

CAN-

F A B V L Æ
C A N C R I.

Mi vate, grandior cancer paruulo dicebat, qui
recta via incedis, neque obliquos intorques gres-
sus? Faciam, inquit ille, mi pappule, si te idem fa-
cientem prius videro.

*Docet fabula, adolescentiam domesticis malis exem-
plorum maxime corrumpi.*

C A N I S M O R D A X.

Canis mordaci, vt omnes cauere illum possent,
paterfamilias iusserat tintinnabulum appēdi ex
ære paruulum. Hoc ille, quasi premio virtutis sue,
admodum superbire, & alios canes præ se contem-
nere. Cui vnus senior: Heus tū, inquit, an nescis
indīcari prauitatem morum tuorū tinnitu isto,
non ornari ære corpus?

*Coerceat fabula stultitiam vulgi, quod sæpè placet si-
bi notis & insignibus flagitiorum suorum.*

V R S I P R Æ C E P T V M.



Ma-

Magnus erat inter duos familiaritatis & necessitudinis usus, ut in summa coniunctione voluntatum atque studiorum viuere viderentur, operasque darent inter se mutuas, & alter alteri gratificaretur. Accidit, iter ut quodam tempore communiter ambobus faciendum esset, cumque transirent quasdam solitudines, in vrsu ingen-tem inciderunt, quo viso vnus celeriter in arborem euasit, alter ab vrsu oppressus, cum audisset, illam feram cadauera non attingere, in terram se prostravit, & attractam animam, quam potuit vehementissime continuit, ut vestigium nullum vitæ appareret. Vrsus omnibus partibus corporis pertentatis, & ore suo crebro ad illius os aureque admoto, cum pro mortuo reliquisset, abiit. Tum metu ambo liberati prosequuntur, inceptum iter. Inter eundem autem interrogat is, qui arborem conscenderat, alterum, quidnam in aurem vrsus iacenti immurmurasset? Multa, inquit ille, quæ nunc memorare nihil attinet, sed imprimis hoc præceptum dedit: Ne amicum esse quenquam mihi vnquam persuadeam, cuius fidem aduerso tempore meo non fuerim expertus.

Docemur verum esse quod Cicero scripsit præclare, ut omnia, Peto: Non facile dijudicatur amor verus & fictus nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, ut quasi aurum igne, sic beneuolentia fidelis periculo aliquo perspici possit, cætera sunt signa communia.

OLLA NATANS.

Lebetem aheneum & ollam fictilem vnde vis abstulerat. Tum olla magnopere vitare concursu

sum



sum aheni, & formidare ac tremere. Cui lebes: Quid metuis? inquit, non ego tibi nocebo. Respōdit olla, in tali iactatione se non posse securo esse animo, cui non suspecta ipsius voluntas erga se, sed fortuitus concursus timori esset.

Docet fabula, periculosas omnibus modis esse conjunctiones potentum & impotentum.

SIMIA.

Conuocatis vniuersis animantibus cognoscere Iupiter volebat, cuiusnam omnium formosissima esset soboles. Tum simia simiolum paruulum preferens, & Ioui ostendens: Quid quæris Iupiter? inquit, nullum hoc formoso formosiorē inueniens. Cui Iupiter: Id eo nudas, inquit, nates scilicet habet.

Docet fabula, de illius ore, qui se ipsum aut sua prædicet, laudes & sordidas & ridiculas fieri.

GRVS

GRVS ET PAVO.

Pauo contra gruem assistens, explicatis pennis suis: Quanta est, inquit, formositas mea & deformitas tua? At grus subuolans: Quanta est, inquit, leuitas mea & tua tarditas?

Monet fabula, non esse ob aliquod bonum naturale superbiendum, neque contemnendum alterum, cui forsasse multò maiora collata sint.

ABIES ET DVMETA.

Contemnebat propinquos dumos abies alta. Cui illi: Quantò tu nobis es prestantior, tantò tua est conditio deterior, quòd magis omnis generis iniurijs exposita sis, & tibi à dijs & hominibus pericula impendeant.

Docet fabula, non oportere excellentes vllorum humilitatem despiciere. Nam multos, vt ille ait, fortuna tollit in altum, vt lapsu grauiore ruant.

INVIDVS.

Volens explorare sensus hominum Iuppiter, misit Apollinem in terras, qui voluntates humanas cognosceret. Hic primum incidit in auarum vnum, & alterum inuidum. Quibus cum colloctus, copiam illis facit petendi quod vellent. Id enim quod vterque petiisset, ratum se habiturum, sed ea lege, vt quod sibi alter petiisset, alteri prestaretur duplum. Nullo igitur pacto induci potuit auarus, quidquam sibi vt peteret: at inuidus erui vnum oculum sibi petijt, vt auarus ambos amitteret.

*Describitur hac fabula auaritiæ & inuidiæ pessimū
& deterrimum vitium.*

P V E R F A L L A X.

Plorabat ad puteum residens & quiritabatur puer, ad quem accedens auarus, interrogat, quid acciderit ei? Me miserum, inquit puer, cum multo largioribus lachrymis: ô miserum me. Cur miserum se prædicaret, interroganti auaro, respondet: Auream situlam sibi in puteum modo delapsam. Ille cupiditate cæcus, neque vnde puer auream situlam afferre potuisset, neque haud verisimile hunc dicere cogitans, positis vestibus se in puteum demittit, quibus puer interea, dum ille reuertitur, sublatis, in silvas aufugit.

Qui aliena appetunt, eos sua etiam amittere sæpè solere, fabula docet.

C A P R A E T L V P V S.

Conspicatus in alta rupe stantem caprã: Quintu, inquit vel leo, vel lupo, huc in herbidos campos, & ad lætas frondes descendis, & ista sterilia & nuda loca relinquis? Cui respondit capra, senserat enim fraudulentè locutum: Non esse in animo sibi, dulcia præponere salutaribus.

Fabula docet, voluptatum studium interdum esse exitiale.

C O R N I X.

Sitiens cornix reperit in vrna grandiuscula aquæ nõ multum. Quam cum attingere arido rostro nõ posset, lapillos quam plurimos in vrnã deiicit, quibus fundum occupantibus, ad labrum vrnæ aqua subiit, & potandam se cornici præbuit.

Do-

Docet fabula, multas res arte obtineri, quas nullæ vires assequi potuissent.

SIMIA.

Magnum esse amorem erga natos simiarum accepimus, sed duobus partu editis alterum mirificè diligere matrem, & gestare manibus, & frequenti complexu sæpenumero necare. Quæ igitur fugiebat canes cum gemino foetu, cariorem manibus compræhensum alterum de ceruice pendentem gestabat. Cursu autem fatigata, lassatis è manibus elapsus simiolus, cum vrgente vi canum tolli non posset, periit: alter, qui collum matris arctissimè astrinxerat lacertulis suis conseruatur. Hunc postea illa solum ita vehementer, vt prius alterum amauit.

Fabula ostendit, vnius sæpè damna alteri prodesse.

OLLA.

Expositam sub dio ollam fictilem, vt lutū prius arefceret, quàm in fornace torreretur, interrogat imber: Quidnam rei sit? Illa verò, se dolium esse, superbè respondit. Dolium, inquit imber, in quo vinum condi solet, quod nos aquæ odimus? Peribis igitur, & illam diiiecit.

Contra superbiam & fastum, & stultas elationes animorum, hæc fabula narratur. Sæpè enim fit, vt magnarum rerum professiones, & arrogantia dignitati, homines imperitiores euertat atque perdat.

HOEDVS ET LVPVS.

Cum lupum euasisset hœdus, & confugisset in caulam ouium: Quid tu stultè, inquit ille, hinc te saluum futurum speras, vbi videas quotidie ad

eadem rapi pecudes, & mactari dijs? Non curo, inquit hœdus, nã si moriendum fit, quanto præclarior mihi fuerit, meo cruore respergi aras deorũ immortalium, quàm irrigari siccas lupi fauces?

Significat fabula mortem communem & paratam omnibus cum honestate & laude coniungi oportere, si fieri vlllo modo possit.

S O M N I A T O R E S.

FACIEBANT iter vnã tres communiter, & cum per loca inculta & deserta aliquot dies pergendũ esset, cibos mercati secum tulere. Hi in via, quæ opinione illorum longior fuerat, defecere. Itaque duo contra tertium simpliciorẽ, vt credebant, consilium ineunt, quo sua illum portione fraudent, & cibus, inquirunt, qui adhuc superest, non satis est futurũ vniuersis: placet igitur nobis, eum potiri hoc solum, qui maximè admirabile somnium viderit, si tibi idem videtur. Probata re vniuersis, ad somnum capiendum componunt corpora sua. Cum dormirẽt duo illi astuti, surgit tertius, & quidquid cibi reperit, id esuriens absumit totum. Senserat enim eos dolum machinari. Cum autem esset mediũ ferme noctis, experrecti illi, narrare inter se somnia sua. Atq; vnus: Quam mirum, inquit, somnium vidi. Quodnam, alter, obsecro? & ediffere, inquit. Visus mihi sum videre, inquit, arripi magna quadam vi veluti procellæ & ante Iouis solium fisci. Cui alter: Non minus admirabile referam, contrarium quidem tuo, somnium. Nam ego vidi, me similiter impetu quodã
venti

venti & turbinis deferri ad hiatum ingentem terræ, & in Ditis regia constitui. Quin igitur, inquiunt, referimus socio hæc, quæ oblata nobis per quietem fuere? Itaque excitare illum, qui fingeret se profundissimo in somno iacere, & verbis inclamare. Qui cum audisset illas fabulas: Quis me vocat? inquit. Cui illi: Nos scilicet socij, inquiunt, tui. Quomodo, inquit, obsecro, reuersi? Quomodo, inquiunt hi, qui nusquam discessimus? At ego, inquit iste, mihi visus sum videre vnum vestrum raptari in celum, alterum ad inferos deferri. Nunquam igitur redituros vos esse ratus, cibum comedi totum.

Hoc dicit fabula, quod Lucretius:

Circumretit vis ac iniuria quemque

Atque vnde exorta est, ad eum plerunque reuertit.

A VICVLÆ PRÆCEPTA.

CAPTAM auiculam aiunt pollicitam aucupi, si se amisisset, daturam illi præcepta tria, quibus si uti vellet, beatam vitam viuere posset. Cui auceps hac spe & conditione illam auolare passus fuisset, de arbore hæc accinuisse auicula traditur:

Crede parum. Tua serua. Et quæ periêre relinque.

Postea: Gratias ago tibi, magne (inquit) Iupiter, qui me de istius manu liberaris. Nam in visceribus meis latet smaragdus vncialis, quem si ille abditum intra me sciret, nunquam viuam amitteret. Hoc audito, mirificus dolor aucupem inuasit, & poenitere eam credulitatis suæ, qui tam facile auiculam dimisisset. Ibi illa: Nisi sequaris præcepta

mea, inquit, nihil illa profuerint, Nā cur tu nunc obsecro, mihi credis, quæ vncialem gemmam mihi inesse dixi, cum vix semiuncia pōdus habeam? Quod si verum sit, cur non seruabas tuum? Sed cū & hoc neglexeris, restat scilicet, ne amissa, quæ recuperari nequeant, frustra requiras, aut desiderio illorum consumaris, atque his dictis relicto aucupe auolauit.

Explicat fabula vtilis maximè sensus, ad vitam cū quiete degendam. Et hoc etiam ostendit præcepta bona multos audire, paucos sequi.

VVLPE ET GALLVS GALLINACEVS.

CONSEDERAT cum suis gallinis super arbore gallus, hunc vulpecula esuriēs, ad sese allicere cupiēs: Quid tu inquit, istuc subuolāsti? quin plana loca frequentas, nam non est quod quenquā metuas, ita nuper in conuentu omnium animantū pax & concordia firmata est & edictum propositū ne quisquam alterum lædere, aut damno afficere audeat, nec vi aut clam in corpus aut res alterius vllus inuadat. Gallus intellecta vulpis sententia: Magnum, inquit, gaudium nuncias. Atque inter hæc caput alèt extollere, & cervicem extendere, quasi aliquid à longinquo specularetur. Interrogatus igitur quid cerneret, aut quid rei esset? Egone? inquit, canes duos accurrentes aspicio, patulo rictu, festinantes cursu incitato. Valet igitur, inquit vulpes, nam mihi vt video diutius hic morari nequaquam expedierit. Quid ita verò, inquit gallus. Non tu pacem factam inter animantes dixera?

xeras? Ita est inquit vulpes, sed quid si istis res adhuc ignota sit, neque ad eos nuncius pacis peruenit? Mea scilicet pellis præciare distrahatur.

Hoc dicit fabula, quod proverbium. Clauum clauo pelli oportere.

CORVVS ET VVLPES.

ESVRIENS vulpes, vt aliquam simplicem auẽ fallere posset, abiicit se in viam, quasi mortua esset, ne vererentur illæ aduolare ad sese. Coruus autem intuitus illam diligentius, spirare vulpem animaduertit, itaq; circũuolitans: Non meus, inquit oculus, minus est subdolus, quàm cor tuum.

Fabula prouerbii sententiam innuit, quo dicitur, furem esse furi manifestum, & lupum lupo.

VVLPES ET FORMICA.

QVÆRENS materiam vulpes ad domum extruendam, vbi habitaret in luce & aperto aëre, redarguitur à formica, quæ quidem perquam esse iucundum ad spectum lucis, fateretur, sed vulpi tamen cogitandum quid ageret, quæ esset in tanto odio rusticorum propter rapinas, & cuius pelles magnoperè ad vestitus hyemales expeterentur.

Fabula docet, nullam rem inconsultè aggreddendam esse.

ASINVS ET LEO.

CVM quodam tempore coniuncti fœdere & amicitia vnâ iter facerent leo & asinus, conspexit hic luporum caterua, procurrit audacius,

& clamorem quàm maximum erudit. Tum lupi, qui leonem etiam animaduertissent adesse, asinū quidem illi deriserunt, sed celeriter se fuga subduxere. Asinus autem interroganti leoni, quænantiam clamoris causa, & quid factum esset? respondit: Se lupos conspectos absterere voluisse, à quibus derisus fuisset, cum tamen ipsum leonem visum statim fugissent. Rectè, inquit leo: Nō enim clamores, sed vim metuit lupo.

Fabula indicat, fortes & constantes viros non verbis, sed factis animum attendere.

V V L P E S E T A N G V I S .

FAMELICA vulpes, cibum querens sibi, discurrebat per silvas & cāpos, ac fortè calcavit anguē, à quo ic̄ta cum esset, magno dolore & indignatione concitata, morſu illum sauciat, atque ira laesi ambo, tum quidem discedunt, medicinam questuri vulneribus suis. Post annos aliquot obuiam factus anguis vulpi, animo memori & cupido vindictæ, callidè vulpem verbis aggreditur, &: *Quantam, inquit, tristitiam cepi de dissidio nostro, neque quidquam ex illo tempore, quo similtas inter nos exstitit, maiori mihi curæ fuit, quàm ut gratia nostra reconciliaretur, ac post illa te quidē nunc video primum. Quare si videtur, obliuiscamur priorum, & amicitiam renouemus, interque nos amanter complectamur, qui pridem hostiliter appetijmus. Quid enim magis omnibus mortalibus, cuiuscunque generis ac conditionis, expectandum, quàm pax & concordia? Quæ alia res melior, vtilior, iucundior esse possit? Hæc omnia & confer-*

conseruat, præstatq; incolumia ac salua, & auget atque bonis multiplicibus complet. Hæc fere illa est, quæ opes, diuitias, vitam denique ipsam, & parit & nutrit atque educat. Et quid multis opus? Nullum est bonum in terris, pacis bono præstantius neque optabilius. Atque hæc locutus ad osculum se erigere anguis, & vulpi oculis abblandiri. Illa verò angui non credidit, quem sciret natura esse implacabilem, & cum sæuum tum etiam malitiosum. Itaque cum auersata, Sic vt loquere, eu, inquit. Sed vt pace vera nihil melius, ita ficta deterrima res est rerum omnium. Hoc enim venenum quadam dulcedine opinionis pacificæ conditum, & non vitatur, & haustū subito necat. Neque vllæ possunt inimicitia & bellum tam nocere, quàm simulata beneuolentia & pax. Hæc publicas & priuatas res, hæc salutem, dignitatem, vitā, fortunasque euertit ac pessundat, nihil metuentium & securorum. Nam inimico & hosti nemo credit, ideoque ab his non fallitur, neque decipitur quisquam. Sed illa fucata verba, & species honestissima bonitatis, ea in fraudem imperitiores impellunt, ea simplices inducunt in errorem atque miseriam. Ac tibi quidem laudatori pacis tantum esse responsum volo. Ad reconciliationem autem gratiæ & amicitia nostræ quod attinet, ita habeto, neque me postea, quæ accidere memini, tibi vnquam ex animo credituram esse, neque arbitrari, te mihi fidem habeas, facere posse.

Fabula monet, incertam & dubiam esse voluntatē eorum, inter quos magnæ inimicitia et graues simulta

tes interceſſerint, maximè ſi vnus etiam ab altero leſus, & damnis affectus fuerit.

HIRCUS ET ERINACEVS.

CONTEMPLANS cornua ſua & crura in aqua renitentia hircus, dignum ſe magnis honoribus eſſe arbitrabatur, ſibiq; admodum placebat. Cui erinaceus, qui fortè & factum hirci & verba audierat: Si, inquit, oculatum etiam tergum haberes, aut tua mutila cauda, & extantes coxæ in aquis apparerent, ſic te ſatis honoratum eſſe crederes.

Fabula hoc dicit: Non videmus mantice quod in tergo eſt.

STRVTHOCAMELVS
VOLANS.

STRVTHOCAMELVS alas quidem habet, quibus in curſu ad pernicitatem adiuuatur, ſed in ſublime volando non extollitur. Hæc ſiue beſtia ſeu auis, cum forte in ardua rupe conſiſſet, incitare ſeſe ad volatum, & imitari velle reliquas volucres. Cui gallina, quæ hoc conantem viderat: Caue, inquit, ne volandi cupiditate, etiã ingrediendi facultatem amittas. Qua deriſa deiecit ſe paſſis alis de rupe, atque ad terram pondere ſuo afflicta crura fregit.

Fabula docet, contra naturam niti oportere neminem.

LVPVS ET VRSVS.

QVÆREBAT ex vrſo lupus, qua de cauſa caput ſemper demiſſum gereret. Quia enim, inquit, vrſus, debile illud eſt & infirmum. At tu, inquit lupus, cornibus armato, quemadmodum armata

mata esse capita taurorū cernis. Quis hoc, inquit vrsus, præstare mihi poterit? Multa, inquit lupus, homines norunt, quos natura singulari ingenio & industria instruxit. Inter eos igitur huius rei artificem quæres. Vrsus paruit monitis lupi, & inuēto tandem qui cornua se additurum ipsi profiteretur, de mercede sciscitari ac pacisci cœpit. Cui artifex: Da sanè mihi dimidiatas aures tuas, inquit. Quid enim præter has aut possis aut velis persolvere, nihil video. Fiat, inquit vrsus lætus, si pro acuminibus aurium aciem cornuum habiturus esset, ac truncari illas patitur. Tum artifex. Nūc perforabo, inquit, eam capitis partem, cui tu potissimum inferi cornua volueris. Minimè, inquit vrsus: desiperem enim, si hoc fieri permitterem. At ego aliter, inquit artifex, cornutū te redere non potero. Carebo igitur, inquit vrsus, potius cornibus, quorum cupiditas utinā non aures mutilasset meas.

Docet fabula, incogitantium & stultorum mira affectantium cupiditates, non carere detrimentis.

TALPA ET MUS.

CÆCVM quidem esse animal talpam, videtur minimè incertum esse, sed habet tamen quiddam oculorum simile, vel etiam oculos fortasse, quibus tenuissima membrana prætenditur. Huius generis unum gloriatum de oculorum pulchritudine contra murem accepimus. Cui mus respondisse fertur: O bellos oculos, qui nihil adspiciant.

Re.

Reprehendit fabula arrogantiam & inanes ostentationes.

FICVS ET SPINA.

Cùm ficus grossis esset grauis, florebat spina, hæc igitur ad ficum: Vbi flores tui sunt? ait. Cui ficus: Vbi fructus tui, inquit, sunt? At mihi, inquit, spina, fructus natura negauit. Quare tu igitur, inquit ficus, flores in me requiris, cum floribus multo præstantiores fructus videas?

Nunquam quidem abesse, intelligendum à virtute decus, sed minus interdum conspicitur. At vitiosa & futilia non nulla sæpè admodum nitent.

SIMIUS ET VVLPES.



Simius contemplans benè habitam & curatam pelle ac nitidis pilis vulpem: O quanta, inquit, benignitate erga te maiore vsa est natura, quam erga

ga me, quem ex quâ i ta quadam deformitate affe-
cit. Cuius errorem vt refelleret: Venito mecum,
inquit vulpes. Faciã, inquit ille, vt iubes, etsi pudet
me strigosum & nudum tecum incedere per viam,
quæ ita quasi pexa & vestita es. Cùm non multum
itineris confecissent, obuiam fit illis elephas, cui
essent dentes fracti. Hunc vulpes interrogat: Quæ
vis dentes tantæ bestię frangere potuerit? Cupi-
ditas, inquit ille, hominum, qui cùm prædæ hu-
ius auidi me pertinacius oppugnarent, ipse impa-
ctos arborum truncis, excussi, & impeso eo, quod
tantoperè expetebatur, redemi vitam meã. Pro-
gressi longius adspiciunt cruentum fibrum, cui
adempta essent membra virilia. De quo & ipso
causam eius mali percunctata vulpes cognoscit,
quod ipse sibi præmordisset, cum ob ea se peti &
captari sciret. Digressi ab hoc vident pavonem,
cui essent pennæ & de cauda & de alis reuulsæ.
Rogat vulpes, à quo ita deformatus & spoliatus
sit decore suo? Cui respondit pavo, hominem pul-
chritudine & luculenta specie illarum captum,
rapuisse eas sibi. Hoc relicto incidunt in vulturẽ,
cui de pectore pellicula esset detracta, quem mi-
serata vulpes: Quid te in hoc, inquit, tantum ma-
lum impulit? Cui vultur: Plumarum lancam quã-
dam molliciem delicati concupiuerẽ, & repertã
in me adimentes, ita, vt cernis, denudarunt. Vix à
conspectu huius abierant, cùm obuium habent
hominem onustum sarcinis, & trahentem secum
paruulos liberos, ponẽ sequente vxore. Hunc vul-
pes salutatur, & vnde veniat, quoque profici scatur,
percunctatur. At ille: Quo quidem eam, nescio,
sed

sed de vrbe capta venio, quæ quondam omnium rerum copia affluens, vim hostilem in se potentior concitavit, & nunc direpta ac diruta, me quoque miserum perdidit. Tum vulpes: Viden', inquit, diuitias & copiam eorum, quæ magnifici & placere solent, non reddere beatos possessores suos. Quapropter factuæ paupertatis, neque pudeat te neque pigeat.

Docet fabula, in opulentia & abundantia plus esse plerunque mali, semper quidem maiora pericula, quàm in paupertate & egestate.

VULPES ET MUSTELA.

Vulpes irreperat in frumenti cumeram per angustam rimam, quod valde macilenta esset & corpore attenuato fame. Repleta autem, cum eadem se recipere & egredi vellet, non magis patuit exitus distentæ cibo. Tum nitentem & vrgentem fugam conspicata mustela monet, vt sic exire studeat, quemadmodum intrauerit. Macie enim pristina recuperata, tum demum euasuram illa qua subiisset.

Horatius ad Mecænatem fabula vitur hac significatione: Qui à diuitibus & potentibus locupletentur, eos intelligendum se in carcerem includere obsequi illorum, neque inde, nisi partorum commodorum amissione, liberari ferè posse.

CUCURBITA ET PALMA.

Cucurbita confita ad palmæ radicem, cum largis imbribus irrigata esset, stirpi palmæ innitens, ad illius se cacumina extulit. Tum interrogare palmam, quotannis ad tantam grandit



ditatem peruenisset? Cui respondit palma: Non minus centum annis. Tum cucurbita: Quanto te ego sum melior, inquit, que non dies totidem crescendo confeci, & tuam exæquavi altitudinem. Paulo post præmatura, & ipsa flaccescere, & radix amisso succo non magis vegetare illam. Ergo quã temerè de processu incrementi sui gloriata esset intelligens, & suam granditatem contemnens, futilitatem confessã fuit.

Fabula docet, quæ citò oriuntur, etiam citò occidere, ut de solstitiali herba Plautus ait. Et, subita incrementa fructuosa non esse. Huc pertinet & hortorum Mida & Adomodos prouerbiũ.

V I P E R Æ.

Vipera non parere fœtus suos, sed ab his perrodi traditur, quod verum esse multi negant. Sed quæ morsus illos grauida quondam sentie-

bat, accusasse impietatem suorum fertur, & multum quæsta fuisse de immanitate erga se illorum. Quibus responderint hi: Ferendum esse ipsi à se, quod ab ipsa tulerit mater. Quin etiam se patris sui interitum vlcisci. Traditur enim ab hac maris caput mordicus auferri. Feram igitur, mater, sed & vos feretis, inquit.

Fabula scelerum vindictas, & delictorum supplicia congruentia esse docet.

PORCVS ET VVLPES.

Pinguis & opimus assiduo pastu, & diligente sagina porcus, interrogatur à vulpe, vnde nam ipsi tanta corporis moles, & ille, quem animaduerteret, copiosus adeps contigisset? Respondit, curam hoc efficere domini, à quo omnia præberentur abundè, & etiam ingererentur. Quo nomine porcus dicere, beatum se putandum, qui tantoperè hominibus placeret. Vulpes non potuit se continere, quin fatuam & insulsam, nisi animam profale haberet, bestiã redargueret, atq; illũ abducit intra villam, ante quam fortè conuenerat, iubetq; sursum aspicere. Hoc ille vix potuit, cũ difficulter cervicem reflecteret. Sed sublatis oculis, succidiam videt, laridum, pernas, farta. Tum vulpes: Hæc, inquit, omnia suilla sunt, & ad tales fructus tendit cultura tua.

Fabula docet, vitandas voluptates. Et hoc quod Græci dicunt: In ventre pingui non inesse sapientiam.

CANIS SENEX.

Bona & laudabili opera canis perstrenui vsus aliquantisper venator fuerat. Deficientibus autem

tem iam viribus, & debilitatis membris, nihil se-
 cius ille tamen ab hoc alacritatem & cursus pristi-
 nos requirebat, & verbis atq; verberibus cessan-
 tem vrgebat. Cui canis: Quam cito oblitus meri-
 torum meorum, inquit, ita in me seuius es? Neque
 mihi prodest quidquam, quod bene fecerim, cum
 facere posse desierim.

*Fabula reprehendit hominum prauitatem, in bene-
 ficijs obliuiscendis. Dicitq; idem, quod versus Homeri-
 cus: οὐκ ἔστι χάρις μετόπιστεν εὐεργέων, Id est: Benefa-
 cti gratia rara est.*

M V S T E L A.



Imbecillis iam & annis grauis mustela mures
 assequi non magis poterat. Hanc igitur excogitat
 fraudem: In frumenti manipulos se implicat, eo-
 dem veniunt & mures, fruges vt erodant, hos illa
 sine labore & defatigatione capit, atq; deuorat.

P

fa.

Fabula docet, viribus deficientibus magnum in prudentia subsidium esse positum.

TIGRIS.

Venator iaculis & sagittis feras persequatur, quibus fugitantibus, tigris se bellum solam sustenturam esse profitetur: in huius, de latebris suis femur, sagittam venator coniecit. Tum illa graviter ingemiscere, & circumspicere, ac quaerere auctorem vulneris. Cui obuiam facta vulpecula: *Quis te læsit, ô fortissima (inquit) ferarum? Nescio, inquit illa, sed sentio viri robusti adhibitam manum fuisse.*

Refutat fabulatemeritatem audacium. Qui autem viribus præstant, plerunque incautiores esse cõsueuere. Docemur igitur hoc, vt intelligamus, victoriã nõ tam virium esse, quàm prudentiã.

BOS ET MUS.

Opimum bouem resapinatum in stramento arrodere mus cœpit, & dentibus multa carne densum femur lacerare. At bos primùm caput quassare, & mouere cornua, mox etiam exilire, & circumspicere ac vestigare hostem. Cui mus de cauernula sua caput exserens: *Quantilla, inquit, ego bestiola quantum animal excitare potui.*

Fabula docet, sæpè nihili & contemptos homines impunè illudere potentioribus & magnis.

BOS ET IUVENCVS.

Ante bouem arantem, quem ætate confectum, etiam quotidianæ aratri & plaustrum trahendi operæ sentum & squalidum reddiderant. ante hunc igitur exultare nitidus & petulans iuuenus, atq;
illius

Illius scabram & nudatam pilis curem irridere. Paulò post arripitur ad immolationem iuuenus, qui cum præter bouem duceretur, demisso capite, & lento passu ingrediebatur. Tum bos: Etsi, inquit, nolim has te poenas dare lasciuæ & insolentia tuæ, tamen cum ita ceciderit, delector id me cognoscere verum esse, quod audire etiã de meis parentibus memini: In maximis periculis versari petulantem iuuentutem. Ac esse quidem ætatem hanc per se malis obnoxiam, sed tum maximè, cū accedat iniuriarum & improbitatis vsurpatio.

Præceptum & admonitio fabula narratione comprehenduntur.

S I M I Æ.

simiæ purpuratæ instituebantur ad saltationē. Cuius cum peritæ viderentur esse, productæ fuere ad spectaculum. Saltantibus autem obiecit quidam nuces, quibus visis omnibus posthabitis & neglectis, & nuces illæ discurrere, & de his inter se luctari ac depugnare.

Fabula hoc dicit:

Naturam expellas furca, tamen vsque recurret.

A S I N V S C O N T R O V E R S V S.

Duo qui vna iter faciebant asinum oberrantem in solitudine conspicati, accurrunt læti, ac vterq; sibi illum vendicare, quod ipse prior conspexisset. Dum contendunt & rixantur, neque à iurgijs abstant, asinus aufugit, & subducit se oculis illorum. Ita dum vterq; non dum præhensum suū esse vult, neuter illo potitur.

Fabula docet, inter altercandum, multa quæ placido consensu retineri potuissent, solere amitti. Nota etiam est sententia, quæ vulgò fertur:

Nimum altercando veritas amittitur.

PISCATORES ET TESTU-
DINES.

Ad nauseam vsq; saturi testudinum carne pisca-
tores, cum etiam multum adhuc illius superes-
set, prætereuntem fortè Mercurium ad suas epu-
las inuitant. Qui non ignarus, quippe deus, quo a-
nimo vocaretur, iussit suas ipsos testudines vel e-
dere vel vomere, neque post sua demum fastidia
conuiuas quærere.

*Prodigorum stultitia notatur qui ea alijs tribuunt,
quæ ipsi despiciunt & parui pendunt, etiam ea, quæ
quantiuis interdum precij sunt.*

CORVVS ET LVPI.

Petebat à lupis partem prædæ coruus, quos to-
tum diem sectatus fuisset. Cui illi: Non tu nos
quidem, sed prædam sectatus es, eo quidem ani-
mo, vt ne corporibus quidem nostris velles par-
cere, si exanimarentur.

*Fabula docet, spectari in actionibus, non tantum quid
fiat, sed etiam quo animo & voluntate fiat.*

M V S.

Mus natus & educatus intra cistam refertam
nucibus, fortè delatus in pavementum, dum in
suam domunculam redire properat, & circum il-
lam assultat, attingit hunc odor suauissimus ci-
borum, qui essent in propinquo de reliquijs agi-
tati conuiuij repositi, quibus gustatis: Hæc, inquit,
vt

ut video, iucundor vita futura est illa, quam intra
cistam vixi.

*Fabula imperitos notat qui nunquam suum oppidu-
lum egressi, illius vitam & mores optimos & lauda-
tissimos esse statuunt.*

A G R I C O L A.

Affiduus Cereris cultor agricola exorauerat
deam, ut sibi frumēta sua absq; aristis produceret.
Ita enim rebatur minore cū labore exsculpi pos-
se. Sed indefensa grana, de maturescēte tum se-
gete, auiculę excussēre rostris & deuorârunt.

*Fabula narratur contra votorum stultitiam, & osten-
dit imprudentes spe parui commodi in magnum sepe
malum deferri.*

A C C I P I T E R E T C O L V M B A.

Concitatissimo impetu columbam insequens
accipiter, intra villam vna cum fugiente aue de-
fertur, & capitur à villico. Hunc orat, ut se dimit-
tere velit: Neque enim te, inquit, læsi vnquam.
Cui respondit villicus: Neque, ut opinor, mei te
vnquam læsere, atq; facta illum gula interemit.

*Fabula docet, vindicandas à principibus non minus
subditorum iniurias, quàm si sibiipsis allatæ essent.*

A R A N E A E T H I R V N D O.

Conspicata aranea capientem muscas hirundi-
nem, contra illius volatus explicat retiola sua,
per quæ facilè lata hirundo, celeriter totum opus
disturbauit. Tum aranea: Ista, inquit, muscarias
plagas nihil moratur.

Ostendit fabula, imbecilles frustra se potentioribus

opponere, & hoc subiicit: *Vana est sine viribus ira.*

AMNIVM SILENTIA.

Rusticus transiturus flumen, vadum vestigabat. Ac primum quadam parte se reperturum sperabat, qua defluebat illud placidè & cum silentio, sed à tentante reperitur magna ibi profunditas. Facit igitur alibi periculum, vbi quidem reperit vadum, aqua verò cum strepitu & impetu decurrebat. Tum ille hæc secum: Non vt video, inquit, amnium murmura & fremitus, sed silentium & leues sibili metuendi sunt.

Non esse periculum fabula docet, à clamatoribus & minacibus, sed à musitantibus & taciturnis. Casarem etiam dicere solitum accepimus, non metui à se Antonium & Dolabellam corpulentos & rubicundos, sed Cassij & Bruti maciem & pallorem.

COLVMBA ET PICA.

Cur tu, inquit, pica columba, semper eodem in loco deponis oua tua, atque pullos excludis, neq; redderis prudentior continuis rapinis hominum? Huic columba: Non finit (inquit) simplicitas me, neq; malè suspicari de alijs, neq; meos ab illorū iniurijs eripere.

Ostendit fabula, simplices esse iniuriæ & fraudi expositos.

CUCVLVS ET ACCIPITER.

Cuculo & rostrum aduncum, & acuti sunt vngues, itaque generis accipitrum esse creditur. Huic aiunt esse cibum vermiculos, quos de materia & arborum quoq; ramis colligere solet. Atque talem illi victum exprobrasse, vt vilem & contem-

acp.

nendum, accipitrem ferunt. Quin tu me, inquit, spectas, qui auium carnibus vescor, & cum generis nostri esse videaris, etiam facta imitaris? Hæc oratio, cum mouisset cuculi animum, videt ille paulo post captum accipitrem alligatum collo, pendere de tecto alti columbaris, in terrorem aliorum accipitrum. Tum igitur ita cuculum locutum accepimus: Nunc mihi etiam suauiores mei vermiculi, & gratior illa esca futura est sine periculo parabilis. Neq; ego lauticias moror, quæ tanto discrimine petuntur.

Docet fabula, mediocritatem tutam optabiliorem esse, quàm sit periculosa excellentia.

ASINVS ET VITVLVS.

In vno prato pascebantur asinus & vitulus. Cū autem signum auditum esset aduentus hostium, quod de more solebat dari pulsato ære: Fugiamus, inquit, vitulus, ne in potestatem hostium deueniamus. Cui asinus: Fuge sanè, inquit, cui cædes & mactatio ab istis impendet, mihi periculum nouum nullum obijcitur, quem seruiendi & ferendorum onerum condicio eadem manet, tam apud ciues, quàm apud hostes.

Fabula docet, certæ & exploratæ miseriæ cum alia miseria commutationem non esse pertimescendam.

C A P I.

GALLINACEI castrari solent, ita celerius pinguescere existimantur. Horum magnus numerus in villa alebatur, cumque omnes optimi redderentur cibo largo, & curatione diligente,

in vno tantummodo nihil proficiebat fagina, huius maciem irridebāt cæteri. Mox cum audissent imperium heri, pinguiissimi quique vt iugularentur ad cœnam, affuturos enim hospites, intellexere stulti, quanto perē sibi & vitę suę, carnes, quibus dudum superbiissent, contrarię & nocētes essent.

Consolatur fabula tennes & pauperes, illorumque vitam docet esse multò tutiorem, quàm sit locupletum, & vt Græci loquuntur, τῶν πτωχῶν.

BOVES ET ILEX.

TRABEM iligneam trahebant boues adiuncti ad illam. Hæc autem indignari & queri, atque boues accusare vt ingratos, à quibus ita raptaretur, cum frondibus suis sæpè illos pauisset. Cui boues: Cum nos in hac opera stimulis incitari videas, & gemitus atque anhelitus audias, debet profectò in mentem tibi venire, nos te inuitos trahere.

Docet fabula, quenque iniurię & damni sui auctores, non quoslibet temerè accusare debere.

ARBORES, GRANDES, ET PUSILLA.

INTER proceras & grandes & aspectu pulchras aliquot arbores, vna enata fuerat humilis & contorta, deformisque quibusdam quasi gibbis. Ergo hanc illæ despiciere atque deridere. Mox cum ad ædificium quoddam materia quæreretur, cæsis alijs omnibus, hæc pusilla & deformis arbuscula sola relicta fuit: Tum quidem illa statura atque facie sua admodum gaudens, quę sæpè dolori inter aliarum contemptū ipsi fuerat: intelligebat enim se beneficio huius retinere incolumitatem suam.

MO-

Monet fabula, ne nimis iniquo animo feramus, deesse nobis bona illa corporis atque fortunæ, quorū si quis omnia colligat, sæpius nocuisse affluentiam, quàm profuisse comperietur.

CYGNVS.

CYGNVS, qui latinè olor dicitur, edens ante mortem (vt fertur) suauissimum carmen, interrogatur à ciconia, hæc enim illud fortè exaudierat: Quæ res illo tempore faceret, vt cantare & gaudere liberet. Huic respondit olor: Spe fieri bona vitæ melioris, & animi quodam præfagio futuræ felicitatis, in quâ ex hac vita migrare se intelligeret. Quanam illa esse posset, interrogante stulta aue, vt eam absolueret: An tibi illa parua videtur, inquit, quod tum neque quærendi victus, neque insidiarum metu afficiar, neque excrucior?

Docet fabula, mortem nō esse extimescendam, quæ cum ad meliorem bonos vitam quasi transferat, tum à multis miserijs abducat.

ANGVILLA ET ANGVIS.

CVR, inquit anguilla, quondam angui, me capiunt, te tangere nolunt homines, cum & forma tibi non absimilis sim, & nomine etiam formidabiliore? Respondit anguis: Quia me non facile quisquam sine malo attingit suo.

Narratur fabula contra abiectiōem & humilitatem animorum.

DE ASINO, SIMIA ET
TALPA,

Me

Me miserum, inquit, & infelicem, asinus, cui nihil natura tribuit, quod vlli animanti metuendū esse videatur, atq; vtinam cornua illa mihi esset largita. Hæc audiens simia: Non tamen tanta, inquit, turpitudine tua, quanta mea est, quæ nudis viuonibus, & sine cauda. Cognouerat querelam amborum talpa, vt illo fortè in loco solum egerere cœperat. Fertur autem hæc bestiola solertissimi esse auditus. Prolato igitur capitulo suo: Quid, inquit, querimini, cum sciatis me captum oculis, & sempiternas in tenebras à natura procreatum esse?

Fabula ostendit, eos, qui se infelicitissimos esse existiment, comparatione aliorum beatos interdum videri posse.

A V I V M E T P I S C I V M F O E D V S.

Suscepto bello cum quadrupedibus, fecerant foedus cum piscibus aues, inter cuius condiciones & hæc erat, certi numeri, vt auxilia alteri alteris mittere deberent, quoties peteretur. Sed à piscibus cum ex pacto auxilia postularentur, negant illi terra mittere se ea posse.

Instruit ad prudentiam fabula eos, qui secum alijs coniungere statuerunt, & docet cauere, ne societatem ineant cum ijs, quorum sibi opera suo tempore præsto aut vtilis esse nequeat.

A Q V I L A E T P I C A.

Orasse quodam tempore pica dicitur aquilam, vt sibi quoq; locū inter eos esse pateretur, quorū opera in regni administratione vteretur. Neque
enim

enim vlli se facile cedere, vel corporis agilitate, vel specie, vel prompta lingua. Cui aquila respondisse fertur: Fortasse illius se operam non repudiaturam fuisse, nisi tanta linguæ celeritate atq; agilitate præditam esse sciret.

Docet fabula, loquacium & garrulorum familiaritate in à prudentioribus solere respui.

TURDVS ET HIRVNDO.

Dicebat ad matrem hirundo: O mea mater, quam elegantem & commodum amatorem mihi reperi? Quemnam, mea filiola? inquit illa. Turdum, inquit hirundo. Tum mater: Mea filia, inquit, non benè illi tecum conueniet, cum tu frigus ferre nequeas, ille calorem: & tu ver sequaris, ille brumam petat.

Monet fabula, vt in amicitia iungenda voluntatem & studiorum atque vitæ similitudinem spectemus.

RVSTICVS CANIS ET
VRBANI.

Fugientem canem rusticum urbani cum ingentibus latratibus insequabantur, qui tandem confidentia capta substitit, & contra illos dentibus infrendens sese conuertit. Tum urbani cohibito cursu, substitere & ipsi, neque vltius procurerunt.

Fabula dicit id quod teutonica lingua tritum prouerbum: Agitari fugientes. Nam fortis animus plerunque in periculis maximo præsidio esse consuevit.

TESTUDO ET RANÆ.

Testudo, cum videret leuitatem & agilitatem ranarum esse maximam, deplorabat inertiam
pon-



ponderis sui, & testæ grauitatem. Mox cum cerneret easdem capi ac deuorari & ab auibus & à piscibus: Quanto, inquit, satius est viuere tardam, quàm expeditam mori?

Docet fabula, accusari per inscitiam sæpè naturæ salutaria dona.

GLIRES ET QUERCVS.

Ne conscendere cum frequenti labore quercū ad glandes rodendas cogerētur glires, conuenisse dicuntur ad hanc effodiendam, vt per otium glandibus, illa euersa, vescerentur. Tum vnus natu grandior, & ætate peritior: Sed si nunc eradicauerimus, inquit, nutricem nostram quamuis in præsentia copiosus victus nobis suppeditatus sit, in posterum tamen fame & inedia nos confici necesse fuerit.

Monet fabula, ne spe præsentis commodi & futura bona euertamus, & mala nobis accersamus.

GA-

Æ S O P I C Æ.
CANIS FUGITIVVS.

237

Habebat quidam in delicijs canem, quem ipse pascere & palpare solebat, insolentiosem autem castigari verberibus sæpè iubebat à seruo. Quodam tempore aufugit canis, cum quo retracto expoſtulare ille, quod diceret erga se fuiſſe canem ingratum & immemorem, quippe quem ipse curasset diligentiffimè, neque digitulo vnquam attigiffet durius. Tum canis: At seruus, inquit, quoties tuo iuſſu, quàm atrociter me verberauit?

Docet fabula, non ſolum manibus & factis iniuriam fieri, ſed etiam conſilio & ſubornatione.

SCARABEI ET AVES.

Maguus timor inceſſerat aues, ne ſcarabei fundis ſe proſternerent, à quibus cernerent tantam vim pilarum de ſterquilinio cõglobari. Tum paſſerem (aiunt) conſolatum genus ſuum, & iuſſiſſe habere bonum animum, quod volucris à ſcarabeorum pilis nihil eſſet periculi, quas illi tantò molimine & conatu ægrè per terram inuoluerent.

Fabula monet, ne temerè aduerſariorum apparatu territi, victoriam, quæ in fortitudine noſtra fuiſſet, illis concedamus ignauia.

VRSVS ET APES.

Ictus ab apicula vrsus, ira incensus, in apiariũ irruit, & aluearia populatur. Tunc apes impetu facto totis examinibus in illum irruunt, de quorũ vix elapſus aculeis: Quantò, inquit, vnum apiculæ vulnus perpeti me fatius fuerat, quàm tantas copias harum excitare iracundia mea?

Nar-

Narratur fabula contra impotentiam iracundiæ.

AUCEPS ET FRINGILLA.

Explicatis retibus, & sparsa esca, assedit in insidijs auceps, aues ut præhæderet, sed quotquot aduolassent, pauca illæ videbantur, itaq; saturata auolare de area patiebatur, expectans aduentum plurium. Qua in spe & cupiditate toto die consumpto, vnam vesperi miseram fringillam, quæ sola ad escam aduolarat, capit.

Docet fabula, auaritiæ infinitas cupiditates etiam parua sæpè amittere.

EQVVS NOVICIVS.

Mercatus quidam equum, cum prius haberet valdè strenuum, aliquanto cum maiore cura illum aluit, quàm alterum. Hoc mirari ipse quoq; atq; de socio causam exquirere. Quid enim, inquit, est, cur me impensius curet herus, multis nominibus te inferiorem? Neq; enim forma, neque velocitas, neq; vires meæ cum tuis comparandæ sunt. Cui ille: Nihil, inquit, nouum neq; mirum herus facit, sed hominum more prioribus posteriora, & recentia vsitatis præfert.

Fabula leuitatem vulgi notat, & nouarum rerum studium.

CANIS ET SVS.

Ad aucupia canes diligenti & exquisita cura atque ratione erudiri & institui solent, & ad silentia, verberum minis & auriū vellicatione assuefiunt. Certæ autem nationis hi deliguntur, quorum in primis bona sagaxq; natura sit. Huius gene-

ne-

neris vni istam feruilitatem exprobrasse opimū
& pinguem suem aiūt. Cui ille: Se non pœnitere
breuis molestiæ, responderit, qua vitam sibi com-
paraturus sit delicatam, neq; pigere in præsentia
tædij aliquantulum deuorare, vt lautissimis diu
postea cibus perfruatur.

*Fabula hortatur discipulos bonarum artium & vir-
tutis ad labores, qui in discendo exhauriendi sint, per-
ferendos, spe maximorum commodorum, & iucundis-
simæ vitæ.*

TRABS ET BOVES.

Qui trabem boues trahebant, vnde tignum fie-
ret, increpabantur ab illa, quod anhelantes in pi-
gritia lento gradu incederent. Cui vnus de bobus:
Nos tamē, inquit, hoc mox onere liberati acquie-
scemus, cum tibi paulò post imponendum vsq; ad
cariam sit sustinendum.

*Subijcit fabula præceptum humanitatis, vt vrrea-
mur insultare miseris, cum fieri possit, vt nos multò ma-
ior calamitas maneat.*

CARDVELIS.

Auolarat carduelis, quàm diu puer in delicijs
cicurem habuerat. Hanc ille gestu & voce reuoca-
re, & dare operam, vt blandicia verborum pellice-
ret ad reuersionem. Nam cui, inquit, mea tu, fu-
gis, aut quid tibi triste aut contrarium, dum me-
cum fuisti, vnquam accidit, vel quid potius ad bea-
tam vitam defuit: Nihil, inquit illa, sed meo ar-
bitratu viuere mihi maximè libet.

*Docet fabula, nullum bonum libertatis bono melius
aut præstantius esse.*

G V L Æ D E D I T V S.

Gulæ deditus quidam ad epulas inuitatus in rus, quod abesset paulò ab vrbe longius, dum proficiscitur spe singularium lauticiarum & opiparè instructarū dapum, in itinere pira reperta ita spreuit, vt etiam per derisionem lotio suo aspergeret. Cum autem riuus, qua transeundum fuerat, subito ea nocte ad altitudinem excreuisset tantam, vt cum manifesto discrimine ingressurum se ille aquas intelligeret, redire tristis, atque post ereptā spem copiosi cibi acerrimè etiam esurire coepit. Itaque cum ad pira, quæ dudum comminxerat, venisset, deterfa illa arrosit, & hanc escam obiecit ieiunis & latrantibus intestinis.

Fabula docet, contemptus & fastidij sæpè has pœnas dari, vt quæ paulò antè homines spreuerint, & abiecerint, ea mox appetant & amplectantur.

E Q V V S E T P O R C V S.

Alacriter ad pugnam equus & armatus ipse, & armatum equitem vehens, proficiscebatur. Hunc conspicatus porcus de luto, in quo volutabatur: Heustu, inquit, quò pperas, ignarus an vitā in p̄lio amissurus sis? Cui equus: Etiam tibi, inquit, mors impendet, & quidem oppetenda sine laude, vbi tuo domino satis pinguis factus esse videberis, ac mihi quidem animam, si ita cadat, viri fortis, tibi lanij manus ereptura est.

Fabula, honestam mortem non nimium pertimescendam, docet, cum etiam in summa ignauia illa euitari non possit.

VENATOR ET CERDO.

Credo ad venatorem quodam tempore deuenisse dicitur, & petijſſe ab eo, ſibi vrfi pellem vt venderet. Venator ſibi illo tempore vrfi pellem non eſſe reſpondit, ſed ſi vellet pecuniam numerare, curaturum ſe poſt dies paucos vt haberet, cū vrfum cepiſſet, cuius luſtrum iam ſibi exploratū eſſet. Itāc, inquit cerdo, facile eſt vrfum capere? Mihi quidem, inquit venator, nequaquam difficile hoc fuerit, inter feras & in ſiluis penè à puero verſato. Licetne, inquit cerdo, te comitari? nā mihi libet ſpectatorem eſſe talis venationis. Licet, inquit venator, mecum perendie in ſilvam abeas. Quò cū eſſet ventum, apparuit ſtatim vrfus, belua ingens & horribilis. Cerdo tum celeriter arborem conſcendit. Venator adortus feram fortiter, cum tamen hæc excuſiſſet ictum, recordans quod audiſſet, non ſolere vrfos cadauera morſu attingere, in terram ſe, quaſi mortuus eſſet, abiecit. Vrfus autem naribus ad os & aures illius admotis, captare anhelitum, & tentare an ſpiraret. Sed illo animam continēte, vrfus mox diſceſſit. Tum igitur & venator ſe erexit, & cerdo de arbore deſcendit, atq; iam animis receptis, inter alios ſermones, percunctari cerdo de venatore, quid in aures ipſius fera inſuſurratſſet? Cui venator reſpondit: Monuiſſe illam diligenter, ne poſt hac vnquam vrfi pellem, non dum capto & conſecto ipſo, vendendam exiſtimaret.

Fabula hoc, quod græcum prouerbium: Non eſſe ante victoriam exultandum, admonet, ne ſecuritate &

Q

teme-

temerarijs animis dubia pro certis habeamus.

LEO ET MUS.

LEO captus laqueo, orat murem, se vt corrosis plagis liberet de impendente interitu, promittitque se accepti benefici; nunquam esse obliturum. Mus facile quod leo flagitarat cum effecisset, petijt ab illo, vt filiam sibi collocaret in matrimonium suam. Leo, quamuis res ea sibi videretur indigna & absurda, noluit tamen auctori vitæ & salutis suæ quod postulauerat denegare. Spondet igitur filiam, sed hoc tamen monet, cogitet musculus, vix fieri posse in tanta inæqualitate, nuptiæ vt felices sint. Sed mus in sententia permansit. Cum igitur noua nupta læna iuuenicula & ferox ad maritum deduceretur, obuium eum non visum neq; animaduersum, pede conculcatum obtriuuit.

Fabula ostendit, amicitias potentum esse periculosas, etiam non rarò damnosas humilibus, et paruorum sodalium esse expetendum vsum paruis. Sed & hoc monet quod prouerbiū Græcum, translatum de turbinis ludo, agitandum aptum & conuenientem. Vnde hoc factum:

Quæ cupis egregiè nubere, nube pari.

CERA.

CERA inuidebat lateribus duriciem, quàm de igne consequi illos videbat. Abiecit igitur & sese in flammam, futurum sperans, vt & ipsa induresceret, sed contrà accidit, celeriter vt diffuere, & liquefacta ab igne consumeret.

Docemur, non esse appetenda ea, quæ sint à natura nobis denegata.

AGRI.

A G R I C O L A.

CVM esset pertæsum agricolam sempiterni laboris in terra fodienda & aranda, inq; varia & difficili cultura aruorum, animum ille ad militiam adiecit, quod multos audisset rem & famam belli gloria quæsiuisse. Fundo igitur vendito, exornatus & instructus armis, cæterisq; rebus necessarijs, militatum abit. Sed re malè gesta, vulneribusque acceptis vix seruatus de prælio, mercaturas potius facere statuit, quod & his locupletatos & auctos quâ plurimos animaduerneret. Nauem igitur conducit, & merces comparatas diuersorum generû in illam imponit, spe magna futuri lucri. Sed cû veheretur in mari, de improviso (vt fit) tempestas oritur, & naui fracta, ipse vna cum mercibus fluctibus obruitur atque perit.

Fabula hoc dicit: Temerè mutantes conditionem & fortunam suam, plerunque quod fugerint relinquendo, alibi reperire duplicatum.

A M N I S.

CONTEMPSISSE præ se amnis fontes suos fertur, cû & ipse piscibus abundaret, & flumine largo, nec non grato alicubi murmure, delabere-tur. Quin etiam, tu intra muscos istos tuos & herbulas delites, ego præter & amœnissima loca terratum, & celeberrimas vrbes, & populos ac gentes maximas feror. Fontibus offensis superbia & proteruitate alumni, placuit reprimere scaturiginẽ suam. Ita origine extincta, celeriter defecerunt vnda fluuij, & amnis exaruit.

Q 2

Notat

Notat fabula eos, qui sibi arrogant auctoribus ea bona, quæ aliundè accepere, & docet, ab ingratis teterri-
mi vitij gravissimas pœnas dari solere.

CORNICIS CONSILIVM.

Aves deliberabant de creandis pluribus regi-
bus, quòd sola aquila tam lati imperij habenas
moderari posse non videretur. Sed cornix hoc a-
gendum non censuit: Nam & facilius, inquit, at-
que citius vnum dolium cõpletur, quàm multa,
& ad plura diuersaq; signa eodem momento ocu-
los dirigere quis possit?

*Fabula & populis multitudinem imperantium one-
rosam esse, & non benè regere plures indicat, secūdam
sententiam.*

ASINVS ÆGROTANS.

Increbuerat fama, asinum iacentem in morbo
non procul à morte abesse. Veniunt igitur ad do-
mum, in qua ille decumbebat, canes, & lupi, & o-
stium aperiri, & se intromitti ad visendum ægro-
tum postulant. Sed asellus paruulus per rimam
ianuæ respondit: Nihil hoc officio opus esse pa-
tri suo, atque eum melius etiam valere, quàm ipsi
vellent.

Simulata & fallacia officia hac fabula notantur.

MVLIER ET NVX.

Mulier nucem interrogasse dicitur, quare affli-
cta illa demum vberes fructus ferret? Quia enim
& tu, inquit nux, verberibus affecta melior reddi,
& asinus plagis incitari solet.

*Fabula docet, quod in alium dicatur, audiendum et-
iam esse.*

ASI-

ASINI VOTA.

Cùm hyems asino ob frigus & arida pabula admodum grauis videretur, expetebat ille ardentibus votis verni temporis viriditatem & teporem. Sed illo tempore, cùm crebriore agitatione exerceretur, æstatem aduenire optauit. Quæ cùm præter alios labores etiam onera frumenti ex area & fructus ex hortis deportandos ipsi imponeret, reliquus erat autuminus, quem expectabat quietiorem. Sed per illum quoq; vindemiæ & lignatus molestijs & defatigationibus pressus, ad hyemis reuersionem desiderium suum retulit.

Docet fabula, totam vitam in laborum tempora distulit, Nam secundum Menandri versum:

Δεῖ τὸς γενομένους μέχρις ἂν ᾤσιν, πονεῖν.

Notat & vulgarem leuitatem, quæ præsentem fortunam nunquam boni consulere solet, secundum Horatianum hoc:

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

MURES ET FELES.

Mures felem placidè accubantem cùm multū & diu contemplati fuissent, tum vnus: Libet, inquit, cùm ista mitissima (vt apparet) & mansuetissima animante familiaritatem contrahere. Atq; his dictis ad felem accessit, & blande cōpellauit, quæ illum statim compræhensum dilacerauit. Hoc intuentes alij mures: Quantoperè, inquit, nostrū popularem species fefellit?

Fabula docet, de vultu & specie animum atque

mores certo intelligi non posse. πολλάκι γὰρ γνώμῃ
ἕξαπατῶσ' ἰδέσθαι. Et impostores & insidiosi simulant
benevolentiam: & odium atque consilia perniciose te-
gunt, secundum hoc:

ἔδ' ἄγορεύοντες, κακὰ, δὲ φρεσὶ βυασοδόμενον. ὁ-
δύσ. ρ. Et hoc:

οἷτ' εὖ μὲν βάξουσι κακῶς δ' ὅτι δὲν φρονέουσι ὁδ. σ.

ASINI LAPSVS.

ASINVS post longam & probatam feruitutem
suam, & multas onerum atque baiulationum e-
gregias operas, quodam tempore sub valde graui
onere, cum ad saxum improviso offendisset, in
via cecidit. Tum accurrit agitator, & acerbissimis
verbis, atque vehementibus etiam plagis, illum
petit. At asinas fecum, & suam conditionem de-
plorare, & accusare ingrati domini scuitiam, qui
oblitus omnium priorum, ob vnam fortuitam of-
fensam tam grauiter se affligeret.

*Fabula significat, ferè homines quid quoque tempo-
re fiat, non quid aliquando factum sit, spectare, & v-
num sæpè delictum memoriam multorum egregiè fa-
ctorum inducere ac delere.*

HYSTRIX ET LVPVS.

HYSTRIX Africanū & Indianum esse animal
perhibetur, non absimile erinacio, sed longiorib.
aculeis armatum, & ijs quidem missilibus, quos
soleat eiaculari in persequentes. Huic insidiās lu-
pus, vt spicula ponat, neq; se illis sine causa perpe-
tuò oneret, suadet. Cū aut opus sit, & res poscat, tū
vt resumat. At illa: Nunc igitur, inquit, his opus,
nam lupo inermem occurrere periculosum est.

Fabula

Fabula monet, vt aduersus hostium et inimicorum vim ac fraudes sēper muniti et defensi esse studeamus.

MVS ET MILVIVS.

IRRETITVS & implicitus laqueis miluius exorat musculum, se vt liberet. Hoc ille facile corrosis plagis efficit, tum miluius eum arripit & deuorat.

Ostendit fabula, quam gratiam pro beneficijs acceptis mali reddere soleant.

TESTUDO DOMIGERA.

ALIVD alijs animantibus à Ioue donum petētibus, facultatem hanc petiisse testudo fertur. domum vr suam absque incommodo quolibet secū circumferre posset. Quid ad hoc petendam ipsam moueret inter interrogata, respondit: Malorum vicinorum merum, in quos si fortē incidisset, nihil esset negotij futurum, vt migratione sua declinaret, si domum portatilem haberet.

Infamat vicinitatem improborum fabula, rem deterrimam & execrabilem, bonorum autem vicinitatē commendat, secundum Hesiodi versum:

πῆμα κακῶσ γείτων, ὡς πύρτ' ἀγαθῶσ μίγ' ὄνταρ.

ERINACIUS ET VIPERA.

IMPETRAVERAT à vipera erinacius per brumæ frigora in suam ipsum vt cauernam acciperet. Cū autem in angusto loco spinis hospitis pungeretur vipera, postulat vt suam domum sibi relinquat, & aliò demigret, cū intelligat illam ambos capere nō posse. Sed erinacius fertur respondisse: Si quis durare illic nequeat, ei sua causa vt exeat licere, sibi discedere in animo non esse.

Q 1

Si

Si vipera habitatione offendatur, posse hanc mutare. Ita hospitis iniuria cauernam suam illa amisit.

Fabula monet, ne cum illis nos facile coniungamus, in quorum potestate nos aut res nostræ postea futuræ esse videantur.

LEPVS ET VVLPES.

ANTEPONEBAT se vulpi lepus, cui pedum pernicitate præstaret. At vulpes dicere, se ingenio vincere, cuius esset multo & frequentior & præclarior usus, quàm pedum.

Fabula incredibilem esse, ait, bonitatem prudentiæ, neque corporis maximas dotes, cum minimis animi dotibus comparari rectè posse.

L V P V S.

INDVERAT pellem ovis lepus, atque cum ita ignoraretur, aliquantisper impune in gregem fuit grassatus. Sed pastor mox animaduersa fraude, necatum hunc de arbore suspēdit. Hoc qui pelle decipiebantur admirantibus: Pellis quidem est, pastor inquit, ovis, sed sub hac lupo latebat.

Habitus et vultus indicia non habenda pro certis, fabula docet, & ideo facta atque rem spectari oportere.

A R I E S E T T A V R V S.

ARIES, qui inter pecora principatum teneret, superbia elatus, cum tauro congregari ausus fuit. Qui ita illum accepit, ut moribundum relinqueret in deploratione temeritatis & fera poenitentia.

Fabula monet, non esse adoriendos viribus præstantiores.

A Q V I L A E T C V N I C V L V S.

AQVILA raptos pullos cuniculi detulerat in
aidum

nidū suum, quem in altissima arbore fixerat. At mæsta mater, vt suis parcat, per omnes illam deos miserorum curatores obtestatur. Sed aquila cuniculi precibus contemptis, & despecta humilitate, dilacerat pullos cuniculi, & suis præbet discerpta membra. Hic vero dolore & ira cōmotus, suo cum genere conqueritur aquilæ vim, & vt quisq; sibi idem, quod ipse pertulerit, accidere posse cogitet, neque illud facinus impunè ferre aquilam sinant, hortatur. Ita concorde illi studio ad eruedam arborem, in qua nidularetur aquila, conueniunt, & egesta à radicibus illius terra, omniq; circum eam solo specubus excauato, ita impulsā arbor leui flatu paullo post in terram prosternitur. At pulli aquilini partim ruina, partim raptu terrestrium ferarum, interiēre, & orbitati cuniculi gratissimum spectaculum præbuēre.

Docet fabula, ne quis potentia aut viribus fretus alium quemlibet despiciat: nam & infirmitatem sæpè acceptas iniurias vleisci.

LVPVS PISCIS.

LVPVS piscis robore & magnitudine eximia præditus, fluuij cuiusdam imperium tenebat. Hūc superbia & fastidium præsentis fortunæ ad cupiditatem extulit regni marini. De ostio igitur fluminis in pelagus enatat, atque ibi Delphino regnatori occurrens, cum & forma & mole insueta tereretur, ad oriente etiam hunc hostiliter Delphino, fuga se in amnem suum recepit, neque postea vnquam extra ostium excurrere ausus fuit.

Q s

Hoc

*Hoc fabula docet, ne quis sibi neminem parem reperi-
ri arroganti opinione persuadeat, ac p̄tius vt cogitet, id
quod teutonico prouerbio fertur, etiam trans riuum ho-
mines inueniri.*

V V L P E S E T L E P V S.

Orabat vulpes Iouem, vt calliditatem ingenij
sui velocitate cursus ornare vellet: lepus autē ce-
leritati suæ adiungi versutum animum petebat.
Iouem his ferunt respondisse: A se in animantes
singulas liberaliter esse certa dona & beneficia
collata, neq; vni se largiri omnia oportuisse. Hæc
enim benignitatem erga vnum quempiam, sum-
mam, iniquitatem erga vniuersos alios futuram
fuisse.

Hoc ait fabula: Non vni dat cuncta Deus.

S E N E X E T A D O L E S C E N S.

Conspectum senex adolescentem, qui de sua
arbore poma carperet, hortatur, vt aliena ne muer-
dat neq; rapiat. Hunc adolescens de arbore irri-
dere, & poma, vt cœperat, decerpere. Tum senex:
Herbas, inquit, audiui magna vi & efficacitate pol-
lere: vellit igitur herbas, & contra adolescentem
proiecit. Hic verò in cachinnos effundi, & senem
delirare credere. Ibi senex: Nihil quidem herba-
rum, inquit, vt intelligo, vires erga istum valuere,
sed & lapides, de quibus sæpè mira, quantum illi
possint, audire memini, experiar, atque collecta
fata in furē coniecit. itaq; illum de suis pomis fa-
cile abegit.

Fabula Terentianam subijcit sententiam:

Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.

Do.

Docet & hoc, senilem & prudētia, quæ huius ætatis propria est, esse impetum lentum, sed vehementem.

MVS INTER CARICAS.

In aceruulo caricarum depascens illas latitabat mus. Hunc dominus vna cum caricis, quas sustulerat, manu fortè comprehendit. Tum mus illius digitos morfu arripuit, at ipse eum vna cum caricis abiicit, & mox: Nihil, inquit, tam est pusillum quin speranda illi salus sit, contra aduersarios si defendere se & vim propulsare aufit.

Fabula docet, in periculis præsentem animum, plurimum asserre momenti ad salutis conseruationem.

LVSCINIA ET ACCIPITER.

Luscinia accipitrem, à quo comprehēsa fuerat, orabat, se vt amitteret, neq; id eum gratuito facturum esse aiebat. Precium quodnam futurum esset roganti accipitri, respondit, suauissimi carminis sonos. At ego, inquit ille, non aures meas, sed ventrem expleri cupio.

Fabula potest ad duos sensus, eosque dissimiles accommodari. Primum, vt intelligamus, imperitos homines liberalibus studijs atque artibus non capi: Alterum, necessaria iucundis anteferri oportere.

CVLEX ET APES.

Brumæ frigore & insuper fame laborans culex, ab apibus petijt, intra ipsorum aluearia recepto sibi vt cibum impertirent, ob quod meritum se illorum filios canendi artem edocturum esse pollicebatur. Tum vna de examine: Nihil, inquit, tua est arte opus liberis nostris, q̄ à nobis multo meliorem & magis salutarem discere poterunt.

Monet

Monet fabula, ita instituendos liberos, & eiusmodi artibus instituendos, ut sua opera ipsi victum sibi quaerere sciant.

LEO, ASINVS, LEPVS.

Leo cum bello contra volucres suscepto copias suas recenseret, prætereunte asino & lepore, quasnam ad res vti posse speraret, vtro interroganti, respondit: Asino tubicine, & lepore tabellario.

Fabula docet, neminem esse tam paruum aut humilem, cuius non aliqua in re opera utilis esse possit.

ACCIPITRVM PAX.

Accipitres quodam tempore inter se acerrimè belligerabantur. Hos columbæ in gratiam reducere & à dimicatione mutuisq; cædibus abducere conatæ, perfecere, ut pacem illi inter se facerent. Qua firmata tam in columbas, quàm reliquas minutas auiculas ipsi concordem vim & vngulas suas conuertere.

Fabula docet, vtilis esse salutis bonorum discordias malorum.

CANIS ET ADOLESCENS.

Canis rapta carne fugiens adolescentem, qui ipsum cum fuste persequeretur, ita ut perfugium proximum oblatum fuit, in culinam se recepit. Adolescens ira concitus intorquet fustem, coniecturus in canem, sed ille modica declinatione vitauit telum, quod in nouercam adolescentis illatum, quæ fortè ad focum sedere, talos illi fregit. Tum adolescens: Benè, inquit, factum, nam ne sic quidem erratum est.

F4-

*Fabula docet, quacunque occasione malis mala den-
tur, nihil illis indignum accidere posse.*

D E M V L A.

*Sequentem fabulam, narratam in expositione vitæ
Æsopicæ, iterum visum est memorare.*

Mula Lydia, cum in flumine suam imaginem
conspexisset, forma & strenuitate equis se cede-
re negabat. Caput igitur quassans, & iubas iactans,
incitabat sese ad cursuram. Aderat & asinus illis
in locis, qui fortè tum rudere cœpit, quo sonitu
audito atque agnito mula: Profectò, inquit, pater
meam castigat superbiam.

*Fabula, non solum bona & virtutes, sed & mala ac
vitia nostra vt consideremus, & Euripideam sententiã
quoque subiicit, quam superius quidem, sed & hoc loco
iterum factam latinè adscribere volumus:*

Humilem facere quamuis virum fortem solet

Matris patriusque turpitude cognita.

P A R D V S E T V V L P E S.

Pardus fera est varijs colorum distincta macu-
lis, eam cum vulpe de forma certasse accepimus.
Disceptatum fuit coram erinacio: Pardus comme-
morare cœpit, forma eos facile præstare reliquis,
quorum adspectu plurimi delectarentur, sed va-
rietatem habere iucunditatis plurimum, sicut
prata quoque insignia diuersis floribus maxima
oculos voluptate perfunderent. Iussa ad hæc di-
cere vulpecula. Intus me, inquit, de animo, non
de pelle noscito, atque ita varietatem contra me
ostenta tuam.

*Hoc indicat fabula, certissima esse iudicia, quæ à spe-
cie*

cie externa quàm longissimè abducta sint.

P A S T O R E S.

Hanc etiam ipsam fabulam prius expositam iterum placuit referre, paulò quidem aliter.

Pastores cæsa oue conuiuium intra tabernaculum agitabant. Quod cum lupo, qui prædandi causa caulas circuibat, fieri cerneret: Ego inquit, si agnum rapuissem, quantum tumultus excitaretur? at isti impunè parentem vorant. Tum vnus his auditis: Nostra enim (inquit) scelerate, non aliena oue epulamur.

Docemur hac fabula, & potentes impunè peccare, & horum delicta non facile repræbendi à quouis debere. Narratur fabula eadem sententia et de mulierculis cõedentibus gallinam, ac vulpe, quæ dixerit: Ego si hoc facerem, omnes iam canes in me incitarentur.

L V P V S S A L T A N S.

Hyeme quærebat escam lupo, & anserem natus in siluas deuoraturus hunc asportauit. Qui videns de se esse actum, nisi consilium callidum excogitaret, quo eriperetur è dentibus sæuissimæ bestiæ, valde orat lupo: quoniam sibi moriendum esset, mediocriter se delectari, sine quidem incommodo ipsius ac molestia, pateretur, minus postea grauius mortem vt ferret. Lupo iubet petere, quid concedi sibi velit. Tum ille respondit, choream se cupere agitare, quam ipse ducat. Lupo, qui nihil fraudis metueret, age (inquit) fiat, & læuæ alæ pennam eminentiorem præhendens, cū ansere saltare cœpit. At hic occasione fugæ oblata, relicta penna in ore lupi, auolauit. Lupo cum

ge-

gemitu auolantem prosequens. Me miserum, inquit, non oportuit saltare ieiunum.

Fabula monet, nihil rectè alieno tempore fieri.

ADOLESCENS ET EQVVS.

Conscenderat adolescēs equum furibundum, illoq; qua via qua; nulla via esset auferente miserum, non enim vires adolescentis ad cohibendum impetum equi satis, neque in hoc desiliendi potestas erat. Plorare igitur ille & lamentari. Tū fortè obuiā huic notus, & familiaris factus: Quonam abis? inquit. Cui respōdit infelix eques: Quo quidem isti, equum demonstrans, lubuerit.

Similiter vehuntur ij, in cupiditates qui suas sese imposuere.

RVSTICVS ADOLESCENS ET FLVVIVS.

MISERAT cum caseolis paucis & butyro ad oppidum anus rustica filium suum, quem ad illud vsq; tempus in pagana casula secum, continuisset. Ille profectus cum ad amnem venisset, quo vadum esset & transiri soleret, stolidus adolescens cernens defluere aquas, ratusque futurum, vt mox alueus vndis euacuaretur, totum in ripa expectans diem adstitit. Ac nocte demum profunda ad sollicitam materculam reuersus, retulit omnia quæ acceperat. Cui illa: Mi pupule, inquit, tam sero, & merces reportas? Nam ego, inquit, mea mamula scelesti amnis profluuium, atq; defluuium opperiens ad ripam totum diem,

dum

dum animaduvertere licuit, mansi, neque nunc etiam defecerit ne an labi pergat scio. Cui mater: Mi fili, ille quidem (inquit) vt Horatius fecit: *Labitur & labetur in omne volubilis æuam.*

Dici potest fabula in procrastinatores & fastidiosos, quibus cum semper labor contrarius sit, cunctando & expectando omnes occasiones rerum agendarum elabuntur.

L V N A E P R E C E S.

Luna matrem quondam fertur orasse suam, vt sibi vestem texeret conuenientem corpori suo: Cui illa responderit: peti à se rem quam præstare nequeat, quod nulla vestis eius corpori conuenire posse videatur, quæ modo plena esset & globosa, modo velut in orbem dimidiari, modo quasi in circulum extenuari, postremò etiam excuari & euanescere soleat.

Fabula hoc docet, homini improbo nullum conuenire præceptum virtutis.

L E P O R V M C O N C I O.

Quodam tempore visum est omnibus bestijs conuentum & cœtum habere, quod aliarum de alijs frequentissimæ querelæ essent. Vbi dictis vtrò citroq; sententijs, lepores ita cõcionatos prohibent: Videri sibi æquum, omnium vt bestiarum eadem sit dignitas & par potestas, neque oportere alias tantò plus, alias minus valere, hoc enim pacto fieri, vt inferiores præstantibus direptioni & prædæ sint. Quibus dictis oblocutos leones accepimus, orationi leporinæ deesse vngues & dentes.

Fabu-

Fabula docet, fortem orationem, nisi etiam viribus sit fulta, à potentioribus derideri.

A Q V I L A.

Ea aui, quam Latini aquilam vocant à colore, Græci *ἀετός* à velocitate, homo fuisse aliquando perhibetur, & quidem locuples multisq; diuitijs abundans, sed omnium mortalium inhumanissimus & inhospitalitate execrabilis. Quare irati dii, quibus hoc scelus esset in primis inuisum, cum in illam, quam dixi auem conuerterunt, hoc in super supplicio addito, vt postquam consenuisset, ita eï rostrum incuruaretur, vt cibo sumendo non magis idoneum, cum non permitteret pascendo vitam sustentari, ipsa fœdissima mortè fame interiret,

Fabula hoc ait, meritis Deum pœnis hominum scera vlcisci.

C A N U M E R G A F E R A S
O D I V M.

Magnum esse canum odium erga feras, omnes sciunt, sed causa odij plerisque ignota est. Ea traditur esse hæc. Quo tempore magna fuit omnium animantium concordia, vixere apud homines (vt nunc quoque) canes familiaris. Accidit autem vt nescio quam ob causam homo cani vehementer iratus, os propè aram de sacrificio relictum arriperet, & iacularetur in canem. Hanc iniuriam, vt ipse credidit, iniquissimo animo tulit canis, & cupiditate vindictæ incensus, cum videret humanum genus potentius esse, quàm vt illos vlcisci posset: intelligeret autem telum contra se à bestia suppedi-

R.

Rtatum,

tatum, de qua os illud fuisset relictum, cum hominibus pacem firmiorem & foedus arctius facere statuit, & horum ope atque auxilio contra reliquas animantes vti. Hoc ne hominibus quidem contrarium fuit, excepere tamen cicures, quorum usus esset hominibus concessus peculiatis: His canes parcere se velle promisere, ne hostiliter in eas grassarentur, atque ita omnis irarum impetus & manifesta inimicia in feras deuoluta fuerunt.

Fabula indicat, quod ij, qui alios ledere cupiant, vel alienissimas causas irarum pretendere soleant.

B V B V L C V S.

B V B V L C V S onustum lignis plaustrum domum agebat, quod cum in lutosa via & salebris haerere & retineretur, coepit ille ociose astas deos deasque in auxilium aduocare, praequae ceteris, quem maxime propter celebratum vulgo robur colebat, Herculem. Tum illi se Herculem conspiciendum obtulisse ferunt, & his verbis corripuisse stolidam ignauiam ipsius: Rotis manus, o bubulce, applica, & stimulum bobus admoue, & deorum deinde opem poscito, ne si tu cesses, dii frustra inuocentur. Unde & prouerbum natum:

Manum admouentes inuocate numina. Et hoc: Aliquid & ipse agens fac inuoces deos.

Fabula narratur contra desidiam & pigritiam, & cessationem, in quibus plerunque ignauum vulgus vota facit & precibus fatigat deos. Itaque & Terentianus Mutio querit de adolescente: An crediderit speratas nuptias dormienti sibi confecturos deos?

SOL

Æ S O P I C Æ.
S O L E T A Q V I L O .

259

Solem & aquilonem de robore viribusq; quon-
dam disceptasse ferunt, conuenisseq; inter eos, vt
vter viatori vestem eriperet facilius, is validior ha-
beretur. Priores igitur sortitus Aquilo ventus a-
cer & vehemens, omnem vim flatus sui in conspe-
ctum fortè viatorem immisit, verùm ille, quò ma-
gis ventus in se ferebatur, hoc arctius vestimenta
continere circumque se conuoluere. At Sol æstus
& calorem effundens, facile effecit, & viator se ve-
stibus nudaret, non solum pallio posito, sed etiam
refibulata tunica.

*Fabula dicit, cedere robur ingenio, secundum Sopho-
cleam sententiam:*

Non pectore amplo qui sunt humerisque arduis,

Sese tuentur proteguntque maxime:

Sed consilij sapientia superat omnia.

L V C T V S P R Æ M I A .

Quo tempore dijs Iupiter honores & cultus di-
stribuit, fortè luētus abfuisse dicitur. Re igitur per-
acta & ille aduenit, & se præteritū grauissimè que-
stus, à Ioue petijt, ut tum etiam vti ratio habea-
tur. Iupiter cum nihil superesse sciret, quærebat
quid illi attribueret, quem solum non vellet in-
honoratum dimittere Tandem omnia animo ver-
santi subiit, quid homines in luētū ob interitum
& mortem suorum facere consueuissent. Tum
igitur: Cape inquit, lachrymas mœroremque &
querimonias atque lamenta. Itaque nunc fie-
ri videmus, vt eos luētus non ferè deserat, qui
his indulgeant, tanquam cultui illius proprio:

R 2

Con-

Contra verò, qui hæc suppressere & celeriter omittere voluerint, tanquam contemptores sui hunc & ipsos deserere atque missos facere.

Moderatè esse ferendos aduersos casus fabula docet; quam Plutarchus scribit reginam Arsinoën in luctu filij admodum fuisse consolatam, hoc consilio narrat à quodam Philosopho.

FLUCTVVM NUMERATOR.

Homo quispiam in littore affedit numeraturus fluctus, cum ventis mare agitaretur. Sed crebritate horum perturbatus animo angebatur, & afflictabatur. Ad hunc accedens vulpecula, Quid mœres? inquit. Huic ille respondit, fluctus se numerare cupientem præterlatos innumeros, quos nō potuisse comprehendere doleret. Tum vulpecula: Præteritos inquit, omitte, & numerare si vis vel ab hoc nunc ordire, & qui abiire eos missos facito.

Docet fabula, non ad præterita, sed ad ea, quæ restant in vita hac, respiciendum esse.

HIRVNDINES ET OLORES.

Hirundines oloribus conuitia faciebant, & exprobrabant illis obscuritatem Musica illorum. Quid enim, inquit, prodest vobis cōcessa à Dijs singularis canendi facultas, qua primùm rarissimè utamini, deinde per loca deserta, auscultantibus fluminibus scilicet & pratis, abuti videamini? Ipsi scilicet inter vos suauissimos modos, ut fertur, cietis. Pudet ne igitur, cum celaris aut inuidetis hanc voluptatem hominibus? Nos quidem non solum vrbes, sed domos ipsas & tecta atq; concla-

uia

niā ædium cantu replemus. Quid quæritis argumentum carminis? Præcipuum enim est & vetus & Atticum: Pandion, Athenæ, Tereus, Thracia, Barbarorum affinitas, contumelia linguæ exsectio, mirificum iudicium litterarum. His accedit Itys & forma nostra mutata. Vix responsione dignatas stolidas auiculas vnus tandem ex agmineolorum sic alloquitur: Nostra causa si hominibus notum sit tempus, quo ad Fauonij flatus pandimus alas, & illum suauitatis modulatorem spiritum admittimus, plurimi in hæc deserta loca venturi sint. Sed nobis vulgare sanctissimam scientiam turpe visum. Neq; in copia ac multitudine, neque temerè, sed exquisita & absoluta illa omnibus numeris vti pulchrum: corrumpere autem quasi p̄stitutione quadã sceleratum ducimus. At vos à rectis & sedibus suis repellunt homines, & vestros cantus auersantur, neque immeritò, quippe quæ silere ne excisis quidem linguis sciatis, in illa ipsa deploratione mali vestri loquaciores, quam vlli, qui voce & lingua famam & gloriam quærunt. Vos quidem abite, & ingrata Musica vestra molestæ, vt hætenus, estote mortalibus. Nos neque ingeremus vltro carmina nostra, neque sæpè tractando violabimus Musarum sacra, non prius in vrribus cantaturi, quam non modò hirundines, sed etiam monedulæ ex his excesserint.

Hoc innuit fabula, præstantiam artium, neque locū dignitatis habere, neque vllō in precio esse vulgo & apud imperitos. Canere igitur eruditos sibi & Musis.

F A B V L Æ
F A T V I C R I B R V M.

Fatuus cum cribrum reperisset, arbitratus vitiosum redditum neglectione, coepit obturare foramina, ut aptum vsui quemadmodum putabat, redderetur. Sed cum in opere sentiret deniq; foraminum crebritatem, parumque succederet incoeptum, abiecit cribrum indignabundus. Neq; enim, inquit, video qua parte obturare, quaeue pertusum relinquere debeam.

Docemur, incogitantes in ipso demum opere difficultatem sentire, non prospicere animis suis, itaque & in agendo defatigari plurimum, & aggredi saepe quae absolui nequeant. Docemur & hoc, satius esse extreme vitiosa non attingere, quam frustra emendare velle.

A Q V I L A E T T E S T V D O.

Testudo spaeij cuiusdam conficiendi certamen cum aquila suscepit: propositus erat locus, ad quem prior ex ipsis vter die tertio peruenisset, victor haberetur. Aquila contempta tarditate testudinis prouolare coepit, & desiderare saepiusculè, & alias res agere, deniq; noctem totam acquiescere, & non admodum mane euolare. Persuaserat enim sibi vno impetu omnes conatus testudinis facile se esse anteverfuram. At haec nihil remittere, dies noctesq; in itinere versari, rectaq; contendere ad designatum locum. Itaq; sedulitate sua velocissimam volucem vicit, & cum adhuc abesse longissimè crederetur, designatum locum tenuit.

Significatur Socraticum dictum: Melius esse festinare studio & animi motu, quam corporis incitatione.

SER.

SERVVS FUGITIVVS ET
PISTRINVM.

Fugitium seruū aliquantisper quæsitum con-
spexit quodam tempore dominus, quem dum in-
sequitur, vt retraheret ad se, ille pœnæ metu &
conscientia delicti territus fugere, atque in pistri-
num quod proximum esset sese abdere. Ibi domi-
nus ipso inuento: Quonam, inquit, in loco depre-
hendi magis idoneo potueras?

*Fabula indicat, diuinam vltionem sceleratos & tem-
pore & loco suo manere.*

GALLINACEVS ET VVLPES.

Accepto nuncio ægrotare gallinaceum, visere
ad illum vulpes, quasi beneuolentia adducta, &
interrogare, quomodo se haberet? Cui gallinaceus:
Sic mediocriter, inquit, sed multò habiturus me-
lius, & rectius valiturus, si tu discesseris.

*Officia simulata & dolosa improborum fabula hæc
notantur.*

FERIÆ ET POSTRIDIA-
NA DIES.

Cum ferijs altercatam postridianam diem, quæ
Græcis est ὑσῖρα accepimus, quo diceret illas ple-
nas esse negotij, & cuiusdam molestiæ operando-
rum sacrorum, epulis autem ad ferias instructis po-
stridiè demum homines placidè & iucundè frui
solere. Tum respondiſſe ferias aiunt: Ita quidem
esse, vt illa narraret, sed quæsiuisse, vbinam ferijs
sublatis postridiana futura sit?

Fabula memoratur contra gloriosos & vanitatem.

AMICVS FALLAX.

R 4

FRU.

Frumentum emerant duo, longo amicitia^æ usu familiares, id æqualiter diuisum, inque acervos duos congestum separatim relinquunt, curaturi postridiè ad se deferendum. Horum alter animo peruerso & infido, cum furripere amico ipsius partem statuisset, ne falleretur in tenebris: vesperæ crepusculo, palliolum suum expandit super acervuo amici. Is verò paulò post cum venisset inspecturus frumentum, vt diligētem hominem decebat, videns contectum esse frumentum, primum mirari, mox agnito amici pallio, nihil etiam fraudis suspicans, secum cogitare, non esse æquum pati vt proprio pallio alterius frumentum intectum sit, ac: Quanta, inquit, ista est benevolentia^æ vis atque magnitudo. Atqui fieri non oportet, immò ipsius protegi rectius est, & simul de suo acervuo pallium detractum super amici acervuo explicat. His peractis, cum iam caligo noctis omnia oppleret, aderat ille fur in tenebris, & manu prætentans querebat pallium. Quo contrectato, suum frumentum festinata opera ad se deportat, in opinione & spe furti, nihil lucratus nisi vigilias & solitudinem nocturnam.

Fabula docet, fraudes & fallacias sæpenumerò se ipsas circumuenire.

FUR ET PATERFAMILIAS.

Valdè exercitatus fur, egregiam & quæstuosam operam quadã nocte dederat, compilatis aliquot diuitum arculis. Itaque auro argentoq; refertum sacculum portans, etiam in pauperis ædes deuenit, quas scrutans cum nihil inueniret rerum precio-

crōsarum, in farinarium tandem vasculum incidit. Ne vacuus autem cōtra disciplinam suam discederet, ponit sacculum, in illum congesturus farinam. At paterfamilias strepitu excitatus de somno, & timens victui suo, in furem telo arrepto cum clamoribus irruit. Ille territus ex ædibus sacculo relicto fuga euadit, at paterfamilias excusso igne & lumine illato, magnas præter spem opes reperit: ille qui farinam relinquere noluiisset, auro & argento caruit.

In finitum quærendi studium, euadere docet fabula in dāna. Itemq; subijcit: Malè parta hoc malè dilabūtur.

R V S T I C V S E T S I M I A.

Rusticus cum sacculo, in quo legumina essent, iter faciens, dum sub arbore acquiescit, fortè obdormierat, somno obrepente, vt fit defatigato. Videt simia sacculum, & quid inesset cognoscendū cupida, accedit, & aperit sacculum, leguminibusq; repertis manum vnā complet, & arborem conscendit. Inter ascendendum, vnum fortè granulum exciderat, hoc illa dum non vult relinquere neque amittere, redit in solum & granulum tollit: mox repetit arborem paulò quàm prius maiore cum festinatione, in qua rursus granum elabitur vnum & alterum. Quæ dum & ipsa & recolligit, excitatus de somno, fortè fortuna rusticus, clamoribus & saxis illam insectatur. At hæc trepida & perterrita, abiectis omnibus leguminibus fugæ studere, & manus expedire: ita quæ nihil amittere voluisset, nihil retinuit. †

Ad superioris fabulæ admonitionem referri & huius

poterit, & eodem apponi id quoque, quod Terentianus ait Syrus: Pecuniam in loco negligere, maximum esse interdum lucrum.

SIMIUS ET FABRI.

Simiolus contemplatur de arbore fabri artificium: ille fortè cuneis arborem findebat. Erat autem prandij tempus, ad quod faber discedens relinquit impactum in trunco ferrum. Simiolus ut viderat fabrum facere, supra arborem insilit, & crucibus diuaticatis arripit securim, sed pedes terram non attingebant. Itaq; illius super arbore infidentis pudendula, in fissura, quam cuneus efficiebat, dependere: ipse nihil cogitans quid accidere posset cuneum excutere, iterum impacturus quemadmodum fecerat faber. Sed cum robur, ut natura ferebat, coiret, pudendaq; simioli arrepta angerentur, clamans ille & eiulans hærebat captus, at fabri excitati cum risu, re cognita, male illum verberibus in super multatum dimittunt.

Fabula Græci versus sententiam subiicit, quam Cicero ita expressit:

Quam quisque nouit artem, in ea se exerceat.

Est autem in Vespis Aristophanis:

ἴσδοι τίς ἢν ἕκαστος ἐιδείωσ τέχνην.

VULPECULA ET TINTINABULUM.

Vulpecula habitabat iuxta flumen, non procul inde alligatum arbori tintinabulū erat, quo ventis impulso omnia circum loca resonabant. Vulpecula, cui ignota vox illa esset, metuebat ne quid
ferat

feræ & immanis bestia tales sonos ederet. Tandem sensim & placidè arrepenſ, perſpectaq; tintinabuli inanitate, cuius ſtrepitibus nihil ſubeffet virium: Nunc deinceps non facilè, inquit, ſpecie, & opinione percelli animum meum patiar.

Multa opinione magni ſunt, quibus præſentibus nihil eſt contemptibilius.

CERVI DIMICANTES
ET VULPES.

Orta inter duos ceruos pugna iam eo uſq; proceſſerat, ut faucijs ſanguis in terram flueret. Videbat hoc vulpecula, & cupida lingendi illius, ſurrepit dimicantibus, & incautijs auiditate ligurienti ſubiens, à ceruis attrita, conquaſſatis coſtis, ſemiuiua in ſanguine relinquitur.

Fabula docet, auaros quærendi infinito ſtudio urgere ipſos exitium ſuum.

TESTUDO VOLATICA.

Iunxerat teſtudo ſocietatem cum duabus auibus. Accidit quodam anno, ut æſtu ſideris & cœli ardore omnia ſqualerent, riuulusq; ubi illa manebat, funditus exicicaretur. Nec non & auibus eo in loco conſiſtere grane erat, viciniæ locis omnibus ſitu ſqualoreq; laborantibus. Placuit igitur migrare alio, ſed obſtabat deſertio ſociæ & amicæ teſtudinis. Tandem hanc ineunt rationem: Bacillum tranſuerſum roſtris capeſſunt, & medium tenere mordicus teſtudinem iubent, ita ſe ſublatam in aëra ſecum aſportaturas in loca irrigua, & ad perennes aquas pollicentur.

Sed

Sed hoc iterum atq; iterum monent, semel præ-
 hensum bacillum vt teneat, néue committat vt
 os aperiat suum. Ita cum illa subuolarunt. Aliquã-
 tis per processerant, cum vident alia testudines re-
 admirabilem sibi, seque mutuò inelamant, & de-
 monstrat vna alteri volantem sororem. Tum illa
 oblita salutis suæ & præceptorum salutarium: Et-
 iam, inquit, dicere volebat, se volare inuitis om-
 nibus, & amisso per hiatum bacillo, delapsaq; in
 saxum testa fracta interiit.

*Res est noxia garrula loquacitas. Itaq; secundum ve-
 terum præcepta ad taciturnitatem nos exercere studebi-
 mus, ne futiliores simus Homerica anu.*

SIMII ET AVICULA.

Gelidiuscula quadam nocte magna multitud^o
 simiorum sub arbore conuenerat, vbi fortè vnus
 conspicatus vermiculum, ex eorum genere qui no-
 ctu lucent, Latini rustici cicindelas, Græci λαμ-
 πουρίδας & πυρολαμπίδας dixere, clamat se igne
 conspexisse, & socijs ostendit. Illi rati igneam esse
 scintillam, congestis lignis incumbunt, vt spiritu
 flammam excitent. Videbat hoc auicula de arbo-
 re, & errorem simijs demonstrabat, sed illi tamen
 fauebant spei suæ. Auicula rata se non exaudiri,
 deuolat in terram, & accedit propius, monet que
 vt tandem operam & laborem perdere desinant.
 Ibi vnus reliquis ingeniosior, non moueri socios
 cum videret, ad auiculam conuersus: In cribrum,
 inquit, aquam ne ingeras, néue consilia des salu-
 taria respicientibus. Sed auicula non desinebat in-
 culcare monitiones suas, donec ab vno arrepta
 interficeretur.

Fabula ostendit stultitiam esse, stultis & auersantibus doctrinam præcipere.

DEPOSITVM ÆS.

Deposuerat mercator apud hospitem suum magnū pōdus æris. Venit aliquādo & repetit, Ille mures erosisse dicit. Quid? mures, inquit mercator, homo intelligēs. Di j boni quid narras? nunquam audiui illos hoc cibo vti. Utuntur, inquit ille, & hic & insula Gyaro, an tu obsecro non audisti? Non equidem, inquit mercator, quod sciam: sed bene habet, quod tu euasisti voracitatem ipsorum. Placebat hospiti commentum suum, quod tam facile imposuisset mercatori. Sed dū discedit mercator, puerum perquam scitum filium hospitis sui, ante ædes discurrentem absque custode, abducit ad alium suum hospitem. Postero die offert se conspectui veteris hospitis, qui apud illum conqueri & deplorare amissionem filij sui. Tum mercator: Ego heri, inquit, non procul ab ædibus tuis puerum vidi raptum à coruo auferri. A coruo, exclamat ille, puerum? Quis tam validus coruus esse potuit? Ibi mercator: Qua in terra, inquit, mures es erodūt, in ea verisimile est reperiri coruos, qui pueros rapiant. At hospes se suis artibus peritum sentiens, pollicetur se precium æris persoluturum, rogatq; mercatorem, puerum sibi vt restituat.

Fabula subijcit prouerbij sententiam: Clauum clauo pell i oportere.

DE VVLPE ET GALLO
DIVINO.

Fa.

FAMELICA vulpes ad arborem, super qua galinaceus confederat, accedēs, exquisitis laudibus illum extollit, & diuinationis atque prædictionū nomine inprimis: Atque vtinam, inquit, ea felicitas sit mea, tam eximij vatis caput vt osculari mihi cōcedatur. Gallinaceus hanc laudatori suo gratiam referre volens, & præbere caput illi osculandum suum, de arbore deuolat ad vulpem, quæ illum præhensum asportare in siluas, & deridere, quod vate isto & diuino nihil insipientius neque vecordius vnquam se vidisse diceret.

Fabula ostendit, leuium hominum animos laudationibus & assentatione facillimè peruertere.

VRSVS, VENATOR, LVPVS.

VENATOR capreolum ceperat, eumque portans incidit in vrsū, qui illi contentum arcum balistarum sagitta imposita, è manibus extorsit, moribundūq; ipse tamen grauiter sauciatus, prostrauit. Non diu post aduenit lupo, & tanta tamque insperata præda reperta, lætus: Quis, inquit, deus tantum boni obtulit mihi? Sed nunc famem sedauero arrosione arcus istius, reliqua compartam. Dum verò contra telum arcum rodit incautius, excutitur sagitta, & transfixū lupū interimit.

Fabula narratur contra auaritiam & sordes.

ASINVS EXCORS.

LEO ægrotans & infirmus, vulpeculam orat sibi cibum vt inueniat. Illa abit, & ad asinum solū in quodam prato oberrantem deuenit, ac, quid tu heic solus agis? inquit. Quin mecum te confers
ad

ad tui generis animalia, quæ plurima intra istud nemus conuenere. A sinu oratione vulpeculæ motus, illam se ait sequi. Hæc eum ad leonem deducit, qui ita fuerat morbo debilitatus, vt a sinu retinere non posset. Ille igitur elapsus, in suum pratū reuertitur. Leo iterum atque iterum orare vulpē, ad se illū vt reducere studeret. Hoc vix posse fieri vulpecula dicebat: nam sibi asinum nihil iam crediturum esse, sed promisit se tentaturam. Redit igitur ad asinum, & cum illo exostulat, & verè asinum esse ait, pecus agreste & rusticum, qui maximorum amatorum complexus fugerit: nam illos p̄gaudio non apud se fuisse, ideoque illatos in eū vehementius. A sinu credit vulpi, & iterum cum ipsa ad leonem accedit, qui tum viribus annisus omnibus, eū prosternit ac iugulat. Tum iubet vulpem carnes eluere & apparare, vt illis iucundè vescatur. Vulpecula, vt iussa fuerat facit, sed exemplum cor & præmorsas aures ipsa deuorat. Requirenti autem leoni dicit, illum asinum neque cor neque aures habuisse. Hoc leo mirari, & incredibile esse dicere. Tum vulpes: An tu putas, inquit, iterum ad te vt veniret, adduci hunc potuisse, si vel aures vel cor haberet?

Narratur fabula in stolidos, & bis, quod prouerbio reprehenditur, ad eundem offendentibus.

CANIS ET PATERFAMILIAS.

ERAT cuidam perquam fidelis canis. Hic quodam tempore solus relictus apud paruum filium illius, iacentem adhuc in cunis, videt serpentem
ad

ad puerum interimendum arreperere. Ille igitur in serpentem, qui iam ad cunas peruenisset, irruit, & eum non sine difficultate interimit: itaque inter luctandum euertuntur cunæ, & supra serpentem reclinantur. Reuersus autem paterfamilias cernensq; cunas euersas, & cruentum os canis, quod suspicaretur ab hoc puerum interfectum esse, neque prioris fidelitati recordatus, neq; spacio capto ad rem cognoscendam, ense arrepto canem occidit. Postea tollit cunas, & puero viuo reperto & serpente conscisso, quid factum esset intelligit, & suum erga canem perpetratum scelus deplorat.

Fabula docet, nihil esse in ira & perturbatione animi inconsiderate committendum, ne festinationem nostram sempiternus dolor sequatur.

V V L P E S E T T E S T V D O .

Suscepto cursus certamine inter vulpem & testudinem, dicitur testudo se caudæ vulpinæ implicuisse, & ita hanc à corrente vulpe raptatam fuisse ad locum præfinitum, à quo cum proximè abesset vulpes, respexisse fertur, & per iocum dixisse, non se putasse tam celerem esse testudinem, cum illa de cauda ad signum conuersa arreperere perrexit, & non animaduertente vulpecula, illud tenuit.

Docet fabula ingenium viribus præstare.

M E R C E S A N G V I N A .

Subierat cauernam montis, spaciosiorem intus anguis, in qua dum circumreptans longè lateque moraretur diutius, præteriens fortè viator,
Cui

Cui locus idoneus ad acquiescendū visus esset, obijcit saxum faucibus cauernæ, siue quod metueret, ne qua inde venenata bestia proserpens, si obdormisset neq; providere posset, se læderet, seu quia ita aptū erat, vt ibi in radice montis saxū apponeret & accūberet. Anguis de extremis cauernæ partibus reuersus, cū inuenisset obstructum ostiū, vehementer perturbatus, miserias suas secum queri, & antrū complere lachrimabili sibilo. Quo excitatus de somno viator: Deum immortalem, quid ego quiritationis, inquit, audio? Anguis hominis voce percepta, maximis precibus obsecrare illum, quisquis esset, vt patefacta cauerna sese liberet de interitu, qui oppetendus in illo sibi carere sit, inopia cibi, potus, lucis atque aëris, & se anguem fateri, innocentem, nisi iritatā bestiam. Quē enim, inquit, vnquam mortalium nostrum genus læsit, nisi accepta iniuria & malo prius affectum? Orare igitur & obsecrare, sibi vt infelici & capto subueniat, & opituletur. Sed quoniam sciret, homines nō facile in quenquam beneficia conferre gratuito: idē si emissus sit, polliceri gratiam, quæ inter mortales pro summis atq; eximijs meritis rependi cōsueuisset, ne, qui angui salutis fuisset auctor, nullū se prēmium recepisse, queri posset. Hac commoditate captus viator, cū recordaretur, anguino generi singularem prudentiam omnium opinione tribui solere, & ingens precium operę suę expectaret, amouet de faucibus cauernæ saxum.

Ibi verò horribilis prouoluitur, & Asper, acerba tuens, immani corpore serpens, & longa explicatis geris volumina trahit, inq; illum

territum, quemque poeniteret iam benignitatis, ardētibus ac trucibus oculis, & lingua sulcata atque micante, sese infert, tanquam interfecturus liberatorem suum. Itaque oblitus mercedis, salutem ab angue ille deprecans, eāne fides esset & veritas generi anguino, rogat: sibique ut vitam saltem concedat orat: ea pro beneficio dato se gratia contentū fore. Cui anguis, Immò ego tibi, inquit, quæ pollicitus sum prestare paro, nempe eam gratiam ut referā benefactori, quæ inter mortales sumis beneficijs, ut dictū est, rependi consuevit. Hoc ne fit igitur? inquit viator. Neque ego vidi, neque fando audiui, pro maximis meritis malū atque mortē retribui solere. Age, inquit serpens, nisi tu ita esse fatearis, viceris & viuas. Ac mox progrediamur, inquit, aliquo, ubi cognoscamus, num ita se res habeat, ut dico. Tum profecti, vidēt in prato equū strigosum & macilentum pasci: accedūt ergo ita volēte angue propius, atque hic quid rerum ille gerat, & quæ ipsum fortuna in eum locum detulerit, rogāt. Mene, inquit equus, miserum? Qui quondam dum vires erant integræ, tribui præclaram & gratam operam domino meo, nunc illis ætate consumptis, huc emissus, expecto scilicet in horas singulas percussorem, qui iugulati carnibus feras bestias inescet. hæc refertur gratia meritis erga dominum meis. Audintu istum, inquit anguis, quæ loquitur? Audio, inquit ille, sed egone testimonio vnus in causa capitali condemnabor? Minimè inquit: Nam ego te tua confessione vinci volo. Ita progressi aspiciunt canem vincitū recte, & collo de arbore suspensum, anhelantem, semianimum, cum minus arte nexu
restis

restis adductus fuisset. Quem interrogat anguis, quid in hoc illū exitium impulerit? At ille, se, qui in iuuenta celerrimus & strenuissimus fuerit, nūc senio confectum strangulari ait, atq; hoc sibi gratiæ pro meritis suis retribui. Tum viator pene exanimatus metu: Tertio, inquit, teste sententiæ tuæ, te probasse causam confitebor, & patiarque me ferre necesse fuerit. Fiat ita, anguis, vt vis, inquit. Nec longe inde digressi, vulpem obuiam habuere, quæ salutato utroque, quo pergerent rogat. Tum viator: quo nam? inquit, nisi vbi ego pœnas de m. stultæ credulitatis, qui hostem hunc vitæ meæ in me ipse immiserim. Vulpecula sciscitari, quid rei sit, & tota ordine de homine cognita, cū multa bestia interloqueretur, neque vulpem iudicem rei ieceret: Profecto causa grauis est, inquit, & difficilis, sed heus tu, seducto viatori ait, quid daturum te mihi promittis, si te imminenti exitio eripuerō? Omnia quæ vellet & posceret promittente viatore, dimidium auium, quas domi in corte aleret, vulpecula paciscitur. Et ad anguem conuersa. Ego audiui istius, inquit, querimoniam miserabilem, & grauem accusationem immanitatis tuæ, neque dijudicatura sum litem, nisi omnibus inspectis & consideratis, etiam deducta in rem præsentem, ne temerè de hominis capite sententiam feram. Quare, si placet, eamus omnes illo, vbi controuersia orta fuit, atque ibi, si videbitur, disceptabitis coram me iudice. Assentitur anguis, & vulpes ad cauernam deducta: Hæc inquit, illa est, in qua te periculū vitæ adijisse dudum aiebas? Ea est, inquit anguis. Interi⁹ etiam

perspiciamus, inquit vulpes. Licet, inquit anguis.
 Ducito igitur, inquit vulpes. Atque ita intro cauer-
 nam repente angue; cōuersa ad viatorem: Heus tu,
 inquit vulpecula, nunc tu ipsum te metu libera, &
 saxum ad cauernam reuolue. Paruit viator, & iam
 latus animoque securo, iubet sub noctem adesse
 ad mercedem auferendam vulpem. Ac domum cū
 venisset, percunctanti vxori vbi tam diu moratus,
 quid rerum egisset? & quanto in discrimine fuisset,
 & quid vulpi liberatrici suæ mercedis promississet
 commemorat. Tum mulier: Vel tu viuas, inquit,
 vel moriare, ego meas aues vulpi, vt tu scias,
 nulli datura sum omnium. Atqui illa, inquit vir,
 veniet petitum. Quid tua, inquit, stulte refert? An
 tu verò vulpes etiam in perniciem vicinorum alere
 voles? Quin fustem capis, & illi aduentanti ce-
 rebrū dispergis, ac pellem detractam in oppidum
 deportas, qua denario vendita, dimidium precij
 calciamentorū iam confeceris. Dicere aliquid mu-
 lier visa viro, cuius iam longè mutatus animus es-
 set ab illo, q̄ paullo antè in formidine mortis tre-
 pidus & nihil recusare paratus fuerat. Itaque vul-
 peculā, quæ adesset, vt conuenerat, ad mercedem
 ferendam, nihil etiam metuentem, impacto in ca-
 put per rimam parietis illatum, fuste interimuit.
 Atque illius interitu, cuius ipse mortem benefi-
 cio euaserat, hoc gratia solère inter mortales re-
 pendendi summis meritis, comprobauit, vt beneficij
 affecti mala retribuunt.

*Fabula cūm alia quædam, tum præcipuè hoc docet
 quod dicitur in clausula illius.*

M V S--

Æ S O P I C Æ.
M V S C V L V S, F E L I S E T
G A L L V S.

275

EDVCAVERAT mater musculum cū maxima
cura, vnicum natum suum, & ad illum vsque diem
sollicita ac metuens vitæ ipsius de cavernula non
emiserat. Sed iam ætate corpusculo cōfirmato, ip-
se & gestire alacris, & exire velle, neque pati se
diutius in cavernulæ angustijs inclusum retineri.
Itaque assiduis precibus filij mota genitrix, pote-
statem hanc illi facit: hac tamen lege, ne vltius,
quàm in conclaue proximum procurrat, atque ibi
vt cautè versetur monet, & lucem vitare, ac angu-
gulos & tenebras quærere iubet. Gaudet muscu-
lus se quasi de carcere emissum, & matris tamen
præceptorū memor, in proximo conclaui, animad-
uerso propter focum angulo & rimula, latebras
occupat. Ibi videt placido & molli gressu candi-
dam felem sensim ad focum accedere, & in illo as-
sidentem, pedibus prioribus quasi manibus aures,
& caput demulcere atque desringere, & ita de-
mum accubare. Musculus illam aspicere, & for-
ma delectari, & probare animo suo honestatem
illius, compositosque ac placidos mores. Dum au-
tem intuens eam quadam voluptate illectus ac-
cedere propius cogitat, inuolat in idem conclaue
gallus gallinaceus, & alarum strepitu cantuque
subitò ita perculit musculi animum, vt oblitus o-
mnium & sui quoque immemor, pauens & tre-
mens ad matrem repentè recurreret. Quæ com-
plexa illum anhelantem & timidum: Mi nate,
quid rei est? inquit. O mea mater, ô mea mater-
cula, inquit ille, quid ego vidi? quid vidi igitur?
Quid

Quid vidisti, inquit illa, mi nate, mi filiolo? O mea matercula immanē (inquit ille) bestiam vidi, crista to capite, cornutis pedibꝰ, quæ me clamore suo ac strepitu ita perterrit, vt me etiam mirer viuere. Vbi illam, obsecro, inquit mater, conspexisti mi fili? In proximo, inquit ille, conclau, cū inhiarē intentis & oculis & cogitationibꝰ pulcherrimę feminæ, quæ velleribus albis testā, mollissimo incessu, vix tū primū aduenerat, & comta compositaq; bellissimē manibus facie, in foco accubuerat. Cuiꝰ aspectu, dum licuit, dumq; animo securo fui, iucundissimo fruente, ista bestia, q̄ dixi, inuolans & de loco editiore horridam vocem edens, ita me formidine compleuit, vt vides. Mater iā intelligens, quid formosæ fœminæ, & quid immanis bestię diceret filius: Mi fili, inquit, ille quidem clamor & hæc tumultuatio bestię istius, caue posthac vnquā tibi metum incutiat: at verò silentium & molli tudinem, & blandos gestus atque comtam speciē fœminæ illius sic fugito, vt præsentem mortem, neque tu vultum ipsius ferre, neque in ea iterum loca, vbi semel conspexeris, venire, denique totas domus, odio & fuga huius generis, vitare ac declinare velis, si tua vita & salus tibi curæ est.

Docemur, non feroces istos & clamatores et grādes, sed taciturnos & lenes & contractos metuere.

VVLPE S GRAVEDINOSA.

LEO cū graui morbo laboraret, quo fœtor animæ illius auctus totum specum tetrum redderet, accersit ad se bestias, quasi ad officiū visendi regē. Atq; vt quęq; introgressa fuerat, accedere eam
pro-

Propius iubet, quasi orationis altiore sonū neq; ipse ferre, neq; usurpare posset. Post initia autem quædam querelarū morbi sui, rogat quasi foruito, ecquid fœtoris sentiat? Cum alia simplex sentire se diceret, & teterrimè olere, ita se suamq; regiā contemni & infamari cum indignatione clamitans, statim illam obruncat. Aliam, quæ ei assentari vellet, neque se offendi, vel etiam benè olere antrum diceret, ipse mēdacio se irrideri causatus, similiter interficit. Tandem aduenit & vulpes, hæc verò ambigūā in interrogatione hæsitans, & periculum responsionis vtrinq; in partem præuidens: Nihil etiam, inquit, sentio mi rex. Ac ne tu mirere, scito hoc me die, densissima cum nebula esset, progressam de cauernula mea, & in illo aëre crasso ac humido, grauedine & distillatione correptam esse, ita vt odoratus sensum me penitus amisisse intelligam. Quare quidquid est odoris, nihil me vel iuuat vel lædit.

Fabula docet, nihil esse in consuetudine potentum factu vtilius, quàm res & statum & consilia illorum velle intelligere.

VULPES ET ERINACEVS.

Cū vnā fortèiter facerent vulpes & erinaceus, gloriari illa, & ostētare ingenij sui calliditatem, & se plurimarū artium noticia instructam esse, superbè prædicare, & rogare quid erinaceus sciret? Nihil enim inquit erinaceus, nisi me in globulū conuoluerere. Hoc enim uerò irridere illa, & contēnendū ducere. Paullò post incidūt in canes, qui cū omnibus artibus vulpē capiunt & disperunt: spinis autē
S 4 suis

fuis tectus & defensus erinaceus omne periculum
euaſit. vnde & prouerbiū poſtea natum, quod Gre
ci ſenario iambico ita protulere:

πολλ' οἷδ' ἀλώπηξ ἀλλ' ἐχίνου ἐν μίγῃ.

Fabula narratur contra gl'riatores.

P O M A E T S T E R Q V I L I N I V M.

FORTE ſublatum cum pomis ſterquiliniū ſub
ita aquarum eluione, ſluitabat in eo loco, vbi du
dum iacuerat. Tum ſe illud & in aquis vehi, & fer
ri cum pomis præclarum exiſtimans: Quam ſcitè,
nos, inquit poma natamus Sed paullo poſt humi
ditate diſſolutum, in aquis euauit.

Fabula narratur contra gloriatiōis vanitatem.

H I R C V S E T S T A T V A A H E N A.

CONSPICATVS aheneam ſtatuam hircus, qui
ſibi magnitudine cornuum admodum placebat, in
illum magno impetu ſe intulit, quaſi prima incur
ſione euerſurus: ſed tantum abſuit vt illam pro
ſterneret, vt ipſe fractis cornibus collabens ani
mo linqueretur.

Fabula dicitur ijs, qui cū potentioribus contendunt.

O V I S E T C A N I S.

QVO tempore animalia & pecudes ſermone v
tebantur, aiunt ouem dixiſſe hero ſuo: Per mihi
mirum videtur, nihil nobis à te præberi, cogique
è terra nos victum quærere, de quibus tamen tu
& lanam capis & caſeos & agnos: at canibus,
vnde nihil horum tibi redit, impertis panem quo
ipſe veſceris. Tum canem qui hoc audiſſet, ferunt
ſic locutum: Merito herclè meo fit, nā ego is ſum,
qui

qui vos ipsas etiam custodia atq; seruo, ne vel hominum furto, vel luporum rapui pereatis, quod si ego vestram custodiam negligere, iam ne ad pabula quidem exire auderetis præ formidine interitus. Atq; ita etiam oues ipsas facile passas fuisse accepimus, ut se canes potiores & maiore in honore haberentur.

Hæc fabula narratur vulgò imperitorum, qui sapientum ocio irascuntur, & illos in tantò honore vitam de suis laboribus degere molestè ferunt.

NOCTVA ET SOL.

Grauitè quærebatur noctua ob locis & diei ortum, & cum sole ex postulabat. Cui sol: Non meum opus, inquit, sed oculi ius culpendi sunt.

Fabula docet, improbos irasci virtuti, quæ illorum facinoribus obsistere soleat.

CICADÆ PLATONICÆ.

Cum carmina primum proferentibus Musis cognita ab hominibus fuissent, erant qui tam incredibili & infinito studio illorum tenerentur, ut præ his non modò nihil rerum necessarium curarent ac respicerent, sed ne vacarent quidem cibo sumendo. Quos deorum aliquis miseratus, attenuatos fame & vigilijs atque assidua occupatione carminum, in cicadas fertur mutasse, ut cupiditati illorum nihil vnquam deesset, cum præter vocem nihil ferme quo vita intelligi posset, haberent: corpus autem eiusmodi, ut minimo cibo duraret, itaque rore pasci ac viuere cicadæ putantur.

Hac fabula monemur, in leuitate, & imprudētia exitus esse conuenientes factorum & vite anteaēta.

ACCIPITER ET LVSCINIA.

Comprāhensam lusciniā accipiter, & miserabiliter vociferātem, increpat sēuis verbis: & quid tu, inquit, rere tui clamoris gratia te amissum iri? Nihil ego istum moror aut curo, neq; , nisi fortē animo meo placuerit, tua quiritatio te vngulis eripiet meis.

Fabula, vt Hesiodus ait, docet, stultē facere eum, qui nitatur contra potentiores.

DE COLUMBIS.

Oppressa columbarū cohorte, quæ ab vna quasi regina & domina candidissima columba ducebatur, reti aucupis, singulę strepere & alis plaudere & ferire rete, si qua erumpere possent. Tum non solum albam, sed etiam sapientem reginam ferunt illum impetum promiscuum & temerarium suarum columbarum verbis compescuisse, & hortatā esse, vt consociata & consentiente vi atq; opera erumpere studerent: nam singulas non aliter seruari posse, quam seruatis vniuersis. Cū autem hę parerent ductrici suæ, & pariter subuolare impetu concordī omnes conarentur, substulerunt rete, & in siluas aufugientes abstulēre, vbi super arborib; laqueis relictis, ipsæ omne periculum euaserunt.

Fabula docet, communi salute singulorum salutem comprehendī, & obediētia subditorum, quæ πρῶταρχία vocatur à Græcis, non solum publica sed prinata etiam bona procurari.

DE

DE PLAVSTRO RECENTI
ET VETERE.

Plaustrum recens stridentibus rotis fertur obuiam quondam factum alteri, quod & vetustius, & cuius rotæ detritiores essent. Hoc igitur illud interrogat, quid quærat, aut quæ res ad ista ipsum lamenta adigat. Cui recens & stridulum plaustrum: Cur tu obsecro tanto, inquit, silentio inuheris, & raros etiam gemitus edis sub oneribus? Sentio enim, inquit hoc, dolorem, & ferenda intelligo, quæ imposita mihi sunt, itaq; ferre, quàm deplorare malo.

Docet fabula, clamores & vociferationes non fere à vanitate & leuitate abesse, & dicunt Franci: Cachinnos sonantes in ore nasci. Etiam docet, quantum in laboribus perferendis exercitati nouitijs & rudibus præsent.

DE VVLPE ET PASSERE.

Palumbium nidus erat super arbore, quò prius pulli, quàm euolarent, venire cõsuerat vulpes, & postulare mercedem, quasi que pensionem habitationis illius, quod diceret suam esse arborem, & à maioribus suis possessam, ac auibus quoquo tempore ad nidulandum elocatam fuisse: petebat autem pullum vnum, qui nisi daretur, totum nidum se vastaturam, & illam palumbium familiam deleturam esse minabatur. Grandiores igitur palumbes sermonibus illius territi, pullum à se annis pluribus exigì passì fuerant. Itaq; incubas ouis mater semper mœsta erat cogitatione & dolore amittendi pulli. Hanc tristem, conspicatus præ-

præteruolans passer, rogat quid rei sit, aut cur per-
 turbetur eo tempore, quo latari in spe fœtus de-
 beret: Cū palumbes, quæ casum metuat, & qua an-
 xietate teneatur, exponit, vulpisq; iniuriis & to-
 tam rem edisserit. Hic enim uerò palumbem sim-
 plicem irridere, & castigare stolidam verbis: Quid
 enim tu censes, inquit, vulpino generi vllam ar-
 borem à naturæ peculiarem procreatam esse? Mi-
 nimè hoc factum est, mihi crede, neq; si quid pro-
 prium attribuere vellet natura rerum vulpibus,
 arbores, vt opinor, quas non possent illæ conscen-
 dere, sed specus & dumeta contulisset. Sed etiam
 tu cogita, an recordari possis à matre tua audiuis-
 se, mercedem vulpi, vt huic arbori insidere tutò li-
 ceret, datam esse. Verùm sit ita, & vulpes iure ta-
 tur suo, quin tu tamen minas illius spernis, quip-
 pe quæ volucris sis, & quam assequi vulpes omnes,
 quotquot sunt, nequeant. Quare ita facies, cum
 exclusi pulli fuerint, & vulpes ad pensionem au-
 ferendam affuerit, negato te illi quidquam debe-
 re: cumque solitas minas vsurparit, hoc modo re-
 spondeto: non te vereri, ne vulpes arbores ascen-
 dant cum tam ponderosis caudis. Paruit consilio
 palumbes, & vulpem paulò post cum superbia &
 minis aduenientem ad mercedem sumendam ita
 ablegare, & ea oratione refutare cœpit, qua fuerat
 à passere instructa. Tum vulpes dolos patefactos
 sentiens, cum tamen palumbis ingenium ad talia
 explicanda non esse idoneum sciret, & alium fu-
 isse architectum intelligeret, remittere se palum-
 bi quidquid debeat sibi, & omni metu à se illam
 liberare, deque suo iure decedere ait, modò indi-
 cet

et, à quo talem responsionem edocto, & isto cō-
 filio instar fuerit. Palumbes nihil cuncta, passe-
 rem sibi pramonstratorem & suaforem fuisse di-
 cit. Venit igitur ad passerem, vt forte in terra con-
 stiterat, vulpes, dissimulans se quidquam compe-
 risse, & sēpē, inquit, mecum admiror ac suspicio
 genus vestrum, cui natura tantam agilitatem tri-
 buerit, vt in sublime altè euolare, & celeriter quo-
 cunque libuerit de ferri, atq; amnes & maria trans-
 ire possitis. Sed vna videtur res, ventorum & pro-
 cellarum vis, contraria & molesta esse vobis, ca-
 pitulis tam paruis & subtilibus præditis. Nihil, in-
 quit passer, illa vis, quam memoras, nocere nobis
 potest, nam quoties hæc commota tempestate in-
 fertur, sub alas reclinata capita ita abdimus & pro-
 regimus: ac simul recondit sub ala caput. Tum vul-
 pes irruens de improviso illum corripit, atque dis-
 cerpens vlciscitur contra se subiecta palumbi con-
 silia.

*Fabula notat eos, qui alijs cauere & consulere sole-
 ant, sibi ipsi nesciant.*

PASTORIS MEMORIA.

Profecturum villæ cuiusdam dominum in vr-
 bem opulentam longius, negotiorum suorum gra-
 tia, orabat vxor, monile sibi vt aureolum afferret:
 orabat filia, vt vestem apportaret: etiam ancillu-
 læ, vt reticula emeret. Tum pastor accedit, numos
 que in crumenula tradit hero, & fistulam sibi mer-
 cetur rogat. Rebus perfectis, quas ob res in urbem
 illam ventum erat, cum reditum iste ad suos appa-
 raret, dum sarcinas inspicit, fortè crumenulam ac-
 ceptam

ceptam à pastore reperit. Ibi recordatus petitionis huius, fistulam emit, & pastori paulò post reuersus domum eam dari iubet. Vxor igitur & filia inprimis, sed & ancillulæ sperare atq; poscere sua. Cum verò diceret hic, sibi & excidisse quid quæque voluisset curari sibi, & omninò illarum emptionum oblitum fuisse: indignari mulieres & molestè ferre, pastoris mandata potiora eum habuisse suis. Tum paterfamilias: Nolite mirari neque irasci, inquit, pastoris enim memoria me in crumenula persecuta fuit.

Fabula docet, gratuitò operam qui dent alijs, non nullos, sed largiri qui velint, & de sua etiam pecunia esse liberales, paucos reperiri. Itaque & Sueuicum prouerbi-um est. Pastoris memoria, cum impendia recusantur.

V A S C V L V M M E L L I S.

Cuidam, qui esset in opinione sanctitatis singulari, quod præ cura rerum diuinarum humana omnia negligere crederetur, à religiosis mulierculis spe pro sese precum erga Deum illius, tribui abundè solebant necessaria ad vitam sustinendam: de quibus ipse, quantum satis esset, capiebat, reliqua dilargiebatur egentibus alijs. Quodam huic tempore allatum fuit fictile vas plenum optimo melle, quo dono admodum delectatus homo supra suum lectum suspendit vasculum, atque multis annis mel integrum & inconsumptum seruauit. Fortè annus venit contrarius apibus, quo mellis precium supra modum augeretur: tum vno ille die

accubans, supraq; se appensum vasculum intuens, rationem computare cum animo suo, quanti venire posset vasculum illud cum melle, posuitque tanti, quanti oues duæ emerentur. Hac spe delectatus ac progressus longius: illaque, inquit, oues binæ post annum, binas alias parient, tum deinde quaternas quatuor, & mox octonas octo. Pergensque hoc modo ad magnum peruenit gregem ouium: has, tum, inquit, oues, cum erunt charissimæ, vendam, & de precio illarum domum, agrosq; mihi comparabo, ita tandem re bene gesta ducam uxorem, eque illa suscipiam liberos, in primis filium elegantem, quem optimis præceptis vitæ & doctrinæ instituem. At ille auscultans mihi euadet in virum egregie eruditum & inueniet laudem sapientiæ ac virtutis. Verum si non obtemperare monitis meis, neq; parere voluerit rectè monstranti, & institutionem meam repudiarit: tum ego illum, sic, arrepto, inquit, suscipione, qui propè spondulam ad parietem applicatus stabat, sic illum ego verberabo. Et inter has cogitationes diuersas suas elatum altius suscipionem impexit in vasculum, eoq; pertufo effusum vnâ cum præclara illa spe, defluxit in stragula mel, hicque consiliorum tam splendorum fuit exitus, carere vt homo melle, quod tam diu conseruarat, & eluere stragula cogeretur.

Fabula reprehendit vanitatem vulgi, qua illud animis suis inhiare solet semper maioribus, neque mediocritate contentum fructus præsentis percipit vitæ communis.

V V L P E S E T A V I C V L Æ.

DIV perpeſſa famem vulpecula, cùm nihil ſucceſſiſſet omnium artium, quas ad viciũ parandũ exercuerat multiplices, tum ſeſe illo præ mœrore animi abiicere humi, & ſecum miſeriam ſuam tacite deplorare. Aves mortuam ratã aduolare propius. Illa vbi hoc videt, immobilis manet, & animam continet, ne aves ſpiritu vitam adeſſe intelligant. Securæ igitur accedunt, & in vulpem inſiliunt: at illa, poſtquam cẽſuit tempus eſſe, exilit, & comprehendit proximam, ac deuorat. Poſtridie experitur eandem fraudem: Ibi vna (cornix vt opinor) non inquit, ſi tuam pellem in iſta ſapẽ expaſſam conſpicer, in illam inuolauero.

Docet fabula, fraudulentis nunquam fidem habendam eſſe: ipſi ſenim etiam quieſcentibus, doli tamẽ vigent & mouentur.

A N S E R I N V S I N C E S S V S.

NON placebat matri anſerculi ſui grefſus. Decere igitur, ac præcipere illi primũ, ne in latus vtrunque nutando quaſi claudicaret, ita ingrederetur. Pullus cùm hoc tentaret, neque ſuccederet, ramuſculos alligat ad cruſcula, quibus ſuſtentatus ingrederetur æquabilius, ſed illi procumbere in lacunulas, & natitare volentẽ, impediabant. Tum mater, caput ſaltem, inquit, teneto. Ille erecto collo, caput ſuſum immobile tenens ad obuia quæque offẽdebat, cùm oculi non proſpicerent, ſed ſuſpicerent. Tum mater: at tu, inquit, & pedibus, & capite ſic vtẽre, vt maiores omnes tui uſi fuẽre.

Fru-

Frustra laborari fabula docet in ijs emēdandis, quæ sunt insitæ aut confirmatæ cuiusdā prauitatis, secundū hoc, σκαμβὸν ξύλον οὐδ' ἐποτ' ὀρθόν. Eia hoc monet, non nature ipsi aduersandum, sed conditionem commænem boni consulendam esse.

A B A P I B V S I C T V S.

QVIDAM cōspecto alueo, intra quem apes acquiescerent, accessit, & aperit illum, auidus mellis, tum in ipsum apes facto impetu inuolant, & quæcunque partes in corpore patebant, eas confingunt aculeis suis. Hic vero pessimè acceptus, vix fuga se eripuit, & periculum euasit. Quem conspici- tus alius, quod esset ore tumido & ulcerato, causam mali sciscitatur. Hic verò, quid sibi accidisset, narrat. Tum ille, at tu, inquit, post hac apes prius repellito, & abigito: ita denique mel tuto capere, & frui illo securè poteris.

Monet fabula, non cupiditatibus temerè obsequendum, & quidquid faciendum sit, ut cum ratione aggrediamur.

A S I N V S I V D E X.

CONTENDENTES de cantus bonitate cuculus & luscinia, iudicem cepere asinum. Asinus iubet canere lusciniam: illa ut potest suauissimum carmen, & omni varietate distinctū, modulatur. Mox iudex cuculum & ipsum promere, quod meditari videretur, iubet. Ille suos cantus notos & equabiles, & vnusmodi proferit. Cum finē fecisset, Hunc, inquit asinus, victorem pronuncio, te luscinia, quæ intricata & varia canis, victā esse statuo: hæc mea sententia est.

T

Docer

Docet fabula, id quod prouerbum, Asinum lyrae tantus audire, non intelligere. Et item hoc, quod alterum dictum in Asinum mandentem tribulos, similes habere labra lactucas.

MILVIUS AFFECTATOR.

MILVIUS audito equi hinnitus sono terribili cogitauit, si ipse simili ueretur, formidini sese reliquis auibus fore. Imitari igitur uelle, & ad similem uocem exprimendam guttur & rostrum intendere. At ille neque clamores & fremitus equinos assequi potuit, & suum lipientem, ut uocant, tintinum corrupit, & magis in ridiculum, quam metuendum alitem euasit.

Dicitur fabula, contra ineptias & peruersitatem imitationis stultae & reprehendenda, & in affectatores stolidos ac incogitantes.

ADOLESCENS IMPROBUS.

CUM domum interdum redisset adolescens audax & petulans, gloriabatur atque iactitabat, cum alia ferociter & improbe à se perpetrata, tum illo etiam die alium adolescentem uerberibus affectum fuisse. Cui pater, quoties forte audierat, dicere solebat: Nondum fili reperisti eum, quem quaeris? Quadam nocte reuersus domum, male mulctatus & saucius, cum mussitaret & latebras quaereret: tum pater: Serius quidem, inquit, sed tandem inuenisti fili, quem longo tempore uestigasti.

Docemur hac fabula, non efferris animis successu improbitatis.

DE RANA ET SERPICYLIS.

IN

IN paludis sirpiculis familia quædam ranunculorum annos multos habitauerat, & diligenter illos, ut larem & tecta sua cõseruarant, & integros præstiterant. Horum posteritas quodam tempore petulantior & iuuenta lasciuior tenelles sirpos arrodere, & penates suos vastare cœpit. Hanc iniuriã ferebant agrè sirpiculi, & precari primùm incolas suos, ne à maioribus ipsorum se defensos & custoditos perderent, atq; euerterent. Deinde cùm precibus parum proficerent, tumq̃ue illos ranunculū irriderent, & dicerent maiores suos, genus antiquum & imperitum bonis suis uti nesciuisse: Diuina & humana testati sirpi, sceleratam vim alumnorum suorum confirmatis animis pertulerunt. Sed non longè abfuit vindicta, & scelerata vis in capita ingrata sobolis celeriter conuertit. Nam erosus sirpiculis & loco iam aperto atque patente, mox ranæ visæ, absque negotio à volucris & hydri arreptæ & distractæ fuerunt.

Docet fabula, à stulta posteritate instituta maiorum cum pernicie everti. Quid enim respondetur interrogariibus apud Næuium, ut Cicero adducit, cur respublica amissa sit tanta, tam cito? nisi hoc: Proueniebant oratores stulti, noui, adolescentuli.

F O E N E R A T O R E S.

QVI quæstū faciebat detrahendis pellibus mortuorum animalium, quorum vendere coria sole-ret, obuiam fortè factus fœneratori, salutatū hunc ita compellauit, ut sui ordinis & gregis hominem, quorum vterque idem opificium factitaret.

Ac admiranti fœneratori, qui sibi primarius in populo civis videretur, & istum nosset: percunctantique quonam modo idem opificium ambo exercerent, respondit ille: Quia ipse mortuis animantibus pelles, fœneratores autem viuis hominibus res & bona detraherent, atque diriperent.

Fabula docet, in mores sæpè tanta vitia inuadere, ut pessima facinora non solum impunita, sed etiam honorata esse reperiantur. Nonne autem interrogatus apud Ciceronẽ Cato, quid fœnerari? quid, inquit, hominẽ occidere?

ROBUSTVS BOS.

CONTEMNEBAT præ se reliquos boues, socios suos, vnus eximijs viribus præditus. Sed cum post arationem illi etiam iuga & alia onera imponisset agricola, reuersus in stabulum post matutinam ferociam maximã, vesperi placidissimè demisso capite adstitit.

Fabula indicat, & virtutem negotiosissimam solere esse, & cum fortuna plerunque mutari animos.

ASINI VMBRA.

CONDVXERAT institor asinum ruri, à quo suæ merces deportarentur in oppidum vicinum, tẽpore, quo omnia solis æstu & ardore flagrabant. Impositis igitur mercibus in asinum, pone ipse cū locatore sequebatur. Cùm autem iter fieret per loca campestria, & vndique aperta, & patentia: gressu asini cohibito, conductor propter illum se apposuit humi, vt in vmbra paullulum acquiesceret. Hanc ei commoditatem locator inuidens, surgere iussit, & agere asinum cum in locum, ad quẽ

con-

conduxisset. Ille enim uerò, se conducto iumento pro arbitrio uti uelle, & fieri licere, aiebat. Negante locatore & affirmante, habere illum conductum asinum, non umbram asini: ad contentionem & lites denenere. De lataque controuersia tandem ad iudices, et annum disceptatur de asini umbra.

Fabula notat futilitatem litigatorum. Et maximam esse indicat rixarum in terris partem de asini umbra.

RUSTICVS ET MUSCÆ.

IMPATIENS quidam in æstate muscarum, à quibus perpetuò vexaretur, arripit iratus accensa stramenta, & in casula ubique circumfert flammam, cuius vi muscæ vel necarentur, vel repellerentur: sed incautius dum ignem tractat, tugurioli arida materia incenditur, & domuncula tota conflatur.

Fabula docet plerosque vitantes parua detrimenta, in maxima damna incidere.

DE VULPE ET GALLO.

FAMELICA vulpes, ut fraude gallinaceum, quæ conspexerat, allicere ad se atque capere posset, humi se prosternit & alterum oculum comprimit, cum miserabili querimonia & imploratione auxiliij à gallinaceo, sibi qui eximeret spinam de oculo, cui illa paullo antè vadenti per sentes infixam esset. Gallinaceus, intellecto dolo: non ego medicus sum, inquit, & si incautius ad oculos fortè unguiculos admouerim, periculum fuerit, ne calcaribus meis etiam sanus oculus lædatur. Sed paullulum expectare si vis, ego domum nostram aduolabo, &

T 3

inde

inde qui tibi medeatur accersã. Vulpes & ipsa sentiebat dolosè agere gallinaceum, se igitur pati velle ait, quod necesse sit, Nam sæpè audiuisse, multis medicis vtendum non esse.

Fabula hoc dicit, λρητιζερ προς κρητα.

L V P I E T C A N E S.

CVM animaduverterent lupi, se non virtute canum, sed multitudine superari, hoc inesse consiliũ perhibentur. Mittunt ad canes, qui ab ijs, quorum color non dissimilis luporũ esset, quærent, Cur non potius secum coniungerentur, quibus natura ipsos conciliaffet, id quod coloris significaret similitudo. Quique illis dicerent: si luporum auxilio aduersus alios canes discrepantes colore, vti velent, postea sublatis illis, & ipsos solos rerum posituros, & in perpetua amicitia luporũ futuros esse. Cùm res stultis canibus probata, & alij canes circumuenti atque iugulati fuissent: tum sine negotio & periculo, istos etiam concolores sibi interfecerunt lupi.

Fabula narratur contra proditores, quibus tantisper honor habetur, dum requiritur opera illorũ, at mox rebus perfectis, plerunque ne parcunt quidem his, neque abstinent illi ipsi, qui eos corruperunt.

C A N I S L E C T V L V S.

FOET Æ cani iusserat lectulum sterni paterfamilias: hoc cùm factum non fuisse cerneret, cum indignatione quærit de ancilla, cui hoc mandarat, cur nõ audiens dicto fuisset? Illa enim uerò inquit: here, conanti aliquoties! hoc non successit, cùm non possem constituere post incertas conuerfientes,

siones, quemnam in locum canis caput, aut in quē
clunes repositura esse videretur.

Narratur fabula in leues & inconstantes.

A Q V I L A E T A V E S.

QVODAM in cœtu alitum, plerique illorum de
se & virtutibus suis magnificè loquebantur, cele-
ritatem accipitres, cantum luscinia, oscines gloriā
augurij, formam pavo, calliditatem perdices, au-
daciā trochilus, remigandi scientiā anates, p̄-
sensionem tempestatis ardea iactabat. Tum a qui-
la, nuga, inquit, ista sunt, nam quod est optimum,
& plurimi fit in hac vita, ego facile omnes vos an-
tecello, vt acutissimo visu oculorū vtar. Quod si
quis minus credit verum esse, agè infidito iupra
ceruicem meam, & illi ostendam de tam sublimi
spacio, vnde ipse vix terram conspiciere possit, me
certè omnia & haud fallente luminis acie contue-
ri. Mussitantibus alijs, regulus in aquilam incubās
iubet subuolare, vt experiatur vtrum vera gloria
illa sit. Dū sub nubes penetrasset aquila, Quid,
inquit, cernis infrā regule? Vix illo terram sibi ap-
parere dicente: At ego, istic, inquit, clarè ouem cō-
spicor, & quidem alba mutilata cauda, inque eam,
vt, quod dixi, tibi certius probem, mox etiā inuo-
labo. Sed illam ouem grandibus volueribus escam
propofuerar auceps, qui laqueis positus intra frō-
des prope latitabat, atq; illam impetu aquilam
cepit & strangulauit. Hoc regulus videns: falso, in-
quit, gloriata fuisti de perspicacia oculorum, quæ
caudam mutilatam diceres te cernere, & laqueos
atque insidiatorem aucupem non aspexeris.

Fabula coercet elationem & superbiam animi. Et docet cupiditates acutè cernere in ijs modò, quæ appetunt, ad reliqua esse cæcas.

DE LEONE ET HOMINE.

SENEX leo, cum alia docere solebat filium suum, tum illi præcipere, ne vnquam cum homine congrederetur ac depugnaret. animal enim illud est, inquit, mirificum & inuictum. Leunculus illa quidem audiebat, sed non tangebant dicta animum. Cum adoleuisset & sentiret vires suas consummatas esse, progreditur quodam die, eo animo, cum homine ut prælum committere vellet. Videtque in agro coniugatos boues: accedit igitur, & rogat num homines sint. Illi quidem se homines esse negant, sed ab homine impositum iugum portare dicunt. Digressus ab his equum cõspicatur, cum strato & frenis alligatum ad arborẽ: ibi ille huic, Tu homo, inquit, es? Minimè ego quidem, inquit equus, sed homini seruiò & obtempero. Paullo post cernit quendam in silua, qui ligna finderet, ad quem accurrens: Homo, inquit, videris esse. Ita est, inquit ille. Pugnabis igitur mecum, inquit. Maximè, inquit ille, sed quæso te, distrahe prius hanc arborẽ. cui vides ferrũ istud impactũ. Iucutit mox leo ungulas fissuræ arboris, & dimouit quidẽ eatenus, ut cuneus excideret: sed vis tanta non erat, ut arborẽ distraheret, itaque partibus, ut fit, vtrinque redeuntibus, cõprehensis pedibus illic hærebat captus leo. At lignator clamores tollere, & de agro vndique vicinos aduocare contra leonem. Hic verò, cum quo in discrimine esset animaduerneret, omnibus

nibus viribus adhibitis pedes de ligno, retraxit, atq; ita quidem, vngulas ple. asq; intra arborem vt relinqueret: ac reuersus ad suum patrem, cum cruētis pedibus: Mi pater, inquit, si paruiffem monitis tuis, vngulas non amiffem.

Fabula hortatur omnes, vt in primis quidem parentibus, sed & alijs rectè monstrantibus libenter obsequantur atque pareant.

DE LVPO ET PORCO.

Cùm quidem plurimis annis lupo vicinæ toti animalia prædatus fuiffet, cœpit tandem cogitare animo suo, quàm grauitè illos tam longo tempore afflixiffet: itaq; decreuit annum integrũ solis piscibus vesci, & à carnibus abstinere velle. Pauci dies abierant, cùm illum pœniteret statim propositi, & requireret consuetum cibum: fortè igitur conspiciatur in cœno volutantem se porcũ, ad quem celeriter accurrit, & quid animantis interrogat. Ille enim uerò se porcum esse respondit de hara rustici illius pagi, etiam nomine commemorato Porcus, inquit lupo, certè etiam porcus piscis est, & illum raptum deuorauit.

Fabula docet, malos in nullo proposito honestatis perseuerare. Itemque non ferè mutari animis, secundũ hoc: Lupo pilos, non animum mutat. & id, quod ait prouerbiũ: prauitatem tantum modò quid prætexat querere. Sed ijdem perfacilè reperiunt, vt versus Menandri indicat, quem interpretatur Mimicus ille.

Malefacere qui vult, nusquam non causam inuenit.

DE VVLPE ET LEONE.

Quodam in iurgio vulpes leoni: Non vestrum.

inquit, genus hoc in loco virtus extollit, sed hominū ignavia & formido. Cui leo respōdit: fortasse ita est vt dicis, sed vestrū genus & hoc in loco, & alijs omnibus ab hominibus exagitur, fugitque conspectus illorum, vt mortem præsentem.

Non dignantur generosæ mentes humilitatem indignatione sua, contemnunt enim potius.

ASINVS ET CORVI.

Asinum quidam onustum sale in urbem agebat, quo segnius pergente, ille animal iners cum verbis, tum verberibus instigare, & sæpè inter alia imprecari coruorum deuorationem: & molestè ferēs tarditatem, debere ad coruos, vt in ira dici solet, abire aiebat. Hoc duo corui audiētes, totum diem sequi, & pabulum sperare sibi oblatum iri, ac vix tandem noctu reuolare in suos nidos iciuni & hiantibus rostris delusi.

Fabula indicat, libenter credere omnes id, quod ipsi volunt. Vt Cæsar, Quæ volumus, & credimus libenter: & quæ sentimus ipsi, reliquos sentire speramus. Et Demosthenes: ὁ γὰρ βέλεται τῶν ἑκατόν, ὀίεται.

CORVI ET COLVMBÆ.

Orta controuersia inter coruorum & columbarum genus, consentitur ab ambobus in accipitrem iudicem. Ille causa audita, columbas statim condemnat, & coruos absoluit.

Ad talem fabulam alludens Horat. scripsit: Dat veniam coruis, vexat censura columbas.

DE VRSO ET VVLPE.

Quodam in cœtu bestiarum, cūm quereretur, quamnam causa videretur seruitutis & oppressio-
nis

nis beluini generis, quod esset viribus multò præstantius genere humano. à quo tamen caperentur, & in seruitutem redigerentur: Tum vulpem dixisse ferunt: se existimare hominum sapientiam & actionem tantam esse, tamq; mirabilem, vt nullum robur illi resistere possit. Ibi versus fremēs ira: Imò nostra, inquit, vecordia nos perdit, & nos sponte nostra obsequendo & morigerando illis domamur. Quid enim de equis dicam? nonne valentissima bestia elephantus hominibus assentatur & obtempērat, neq; recusat imperium illorum? Sed nos si cum illis, vt inter nos facinus stultè depugnaremus tantisper, dum anima inesset: & circumuenta fraude prius vitam amittere, quàm nostris hostibus obsecundare vellemus, neque vlla commercia inter nos neque coniunctionem esse pateremur, libertatem fortasse hoc pacto nostrā tueremur. His ferocissimè emurmuratis, finem versus dicendi fecit, & conuentus solutus fuit. Non ita diu post in laqueos incidit versus, & captus mox annulis in nares insertis circumduci sese, atque etiam ad saltationes & alia iussa patiēda parandumque nutibus hominum assuefieri patiebatur.

Fabula docet, cum fortuna animos hominum mutari, secundum Homericam paulò antiè exposita. Docet & hoc experientes homines atque cogitantes non solere esse feroces: contra verò, istos fortes & audaces verbis, in aduersis ad turpissimam sepe humilitatem abijci. Itaq; præclare Aeschylus & hæc:

κακῶν μὲν ὄσις ἔμπροσθ' ἔκειτο,

ἐπι-

ἐπίσεται βροτοῖσιν ὡς ὅταν κλυδῶν
 κακῶν ἐπέλθῃ πάντα δαιμαίνεν φιλεῖ.
 ὅταν δ' ὁ δαίμων ἔυροῖ πεποιθέναι,
 τὸν αὐτὸν αἰεὶ δαίμων ὀυριεῖν τύχης.
Vexatus est quicumque calamitatibus,
Is scit homines omni de fortunæ impetu,
Perterritos plura mala semper metuere.
Eosdem, ubi fors affluit, confidere,
Aura secunda vsuras res semper suas.

DE ASINO ET MUSTO.

Ad lacum, quo mustum paulò antè exceptum
 fuisset, oberrans, deuenit asinus, & gustato dulci
 potu, cùm ille placeret, bonam partem musti ex-
 haufit, hoc molestè ferens i^e, cuius asinus mustum
 epotauerat, agit cum domino asini de damno ac-
 cepto. Ille deberi quidquam à se negat. Venitur
 ad iudices. Illi, etsi res ipsis ridicula visa, tamen vt
 litigatores absoluerent, interrogant, an inter bi-
 bendum ad lacum asinus assedisset. Cumq; stantè
 eduxisse mustum cognouissent: pronunciant, ni-
 hil debere asinum, qui quasi prateriens gustare
 tantummodò mustum voluisse videatur.

Fabula docet, deceptiones stolidas rectè eludi posse,
& litigatorum ineptias à iudicibus refutandas esse.

LEO PROCVS.

Leonem mirifico amore erga virginem fortè cō-
 spectam exarsisse ferunt. Venit igitur ad patrem
 & nuptias petit filix ipsius. Huic ille: Egone tuis,
 inquit, istis dentibus & vnguibus committam
 teneram virgunculam filiam meam? Atque
 absquo

absq; his foret, equidem felicem me arbitrarer, si talis gener contingere posset. Nunc verò non auisim facere tibi illam vt tradam. At leo amoris impatiens, postulante homine & vngues præcidi & dentes effringi patitur. Ibi inermem homo facile vincit atque interimit.

Fabula ostendit, calliditatem & malitiam fortibus, imprimis voluptatibus inescatis, decus atque robur de trahere, & postea liberè illis insultare.

DE MERGO ET
STELLIS.

Nox erat serena admodum & lucida, splendoreq; stellarum clara. In hac mergus per stagnum ferebatur, piscium capiendorum causa. Vtq; remidentem in aqua fulgorem stellarum cernit, ratus pisces se conspiciat, appetit scintillas in aqua apparentes & sese in eas captans incitat. Mox vbi se deceptum, neq; pisces esse, quos crediderat sensit, à labore inani desistendum sibi esse decreuit. Die autem orto videt matutino tēpore in liquido stagno sub aquis splendorem squamarum in piscibus relucētem, at ille de frustratione nocturna cogitabat etiam istas vanas esse imagines, patiebaturq; præterfluere pisces, ne, vt arbitrabatur, laborem iterum inutilem susciperet. Ac tandem loca illa in quibus copiosè ali potuisset, deseruit, inq; ea se contulit, vbi cum fame & varijs malis conflētandum esset.

Fabula repræsentat stultorum hominū incogitantes leuitatem, quorum consilia, cum minus procedunt aut vbi opinio fallitur, quos ibi potius accusant, quàm sese,
atque

atq; inscitiam suã, neq; amplius ijs de rebus deliberãt, nouasq; rationes exquirunt ac cupiunt mutare omnia, neque iã status illis neque ordo suus placet. De quo sequitur vt in detrimenta & dãna incidãt, vtq; fiant res deteriores, quas se meliores facturos esse sperauerant.

PLUMÆ RECENTES ET
VETERES.

Erant in culcitra ingestã olim plumã qua multis annis in cubili vsa anus quãdam fuerat, hanc cum non satis ad fulciendam effractam esse sentiret, veteres illa plumas augere recentibus decreuit. Additã igitur ad veteres vsu leues & detritas, hæ paulò antè reuulsã & integrã, eamq; ob causam asperiusculã, paulatim illas atterendo comminuerunt. Itaq; pariter vt antea inanitate flaccescere culcitula, donec reanimaduersa recentibus plumis anus illam solis referret.

;*Fabula docet impares cum imparibus malè coniungi: Et in primis vetusta cum nouis non sine detrimento plerunque commisceri. Secundum hoc, non rectè assui pannos veteres ad vestes nouas, & nouum vinum vtribus recentibus infundi oportere.*

DE NVCE ET VEPRIBUS.

Nux stirpe procera, & patulis ramis propter viã enata, ac iam sub autumnii tempus fructibus grauis, vicinas vepres spernebat præ se, & verbis infectabatur, vt humiles & infructuosas, infelicesque ac miseras vocabat, in illa deorum hominumque neglectione. Quæ est enim, inquit, & quam detestanda contorsio & deprauatio vestra? Quis autem

VOS

vos non simul atq; tetigit, mox execratur, vobisq; maledicit? Mea verò, videtis quæ stipitis sit firmitas, quæ ramorum densitas, quæ foliorum amplitudo, quæ fructuum copia, atq; his dictis concussocomante vertice, tacentes vepres superbissimè despiciebat. Veniunt mox homines omnis ætatis ac sexus, viri, mulieres, virgines, pueri, ac fustibus faxisq; nucem petunt, maturosq; fructus decutiunt, & longis perticis verberant, neq; folia modò dissipant, sed ramos etiam diffringunt atq; lacerant, spoliatamq; ipsam ac malè multatam discedentes relinquunt. Tum vepres, non quidem arrepta occasione illam derisisse in calamitate, quòd inhumanissimum esse scirent, sed in casuum & fortunæ incertæ atq; dubiæ consideratione, hinc Menandri versum inter se memorasse accepimus, huius sententiæ:

Beatus est, cui mens bona & res obtigit.

Illiinc verò hos Euripidis:

Ἰλβος ἐπιέρουεντ' εὐτυχίῃσιν
ἀλλὰ γένοιτ' ἄρα καὶ ἐνδαίμων δ' ἄν οὐδ.

Aliunde etiam hæc:

Multorum opes, malorum hominibus causa sunt.

Coercet fabula superbiam & contemptus, docetque vitæ splendorem obnoxium esse miseris. Quam autem peruersa sit res opulentia & præstantia vesana & demens, considerantibus huius effectiones & opera manifestum facile fit omnibus.

DE SORICE.

Inter mures sunt, qui Sorices appellantur, exiliores quidem & acriores reliquis, atque hi
putan-

putantur soli stridere clarius, cum aliorum voces non exaudiantur. Horum vnum quondam in cœtu murium gloriatum de cantu & vocali sono ferunt, cui vetulus alius: Heus tu, dixerit, quid gloriaris stultè, quid è istum exitiosum tibi stridorem iactitas? An non audis de hoc etiam prouerbum natum inter homines: Soricem ipsum suo perire iudicio. Ne tu igitur quod neq; generi honestum est, & saluti contrarium tuæ, quasi pulcrum & magnificandum ostentes. Ridebat senem ferculus iste, atq; quàm antè, magis contentiusq; stridebat. Itaq; homines hoc signo mures in illo loco versari cum deprehendissent, operam dedere, vt eos insidijs circumuentos caperent. Captusque in primis forox, stridere tū quoq; in dolore & perturbatione animi. Ibi vetulum illum suis parvulis musculis cum præcepta daret moderationis & prudentiæ, hoc quoq; dixisse accepimus: Detestabilem esse eam vocem, quæ eadem & in lætitia ac felicitate, & tristitia atq; miseria emitteretur.

Fabula narrari potest aduersus stolidas ineptias ostentationi, docetque vanitatis ac leuitatis exultationem, etiam misericordia destitui.

DE VVLPE, LEONE
ET ASINO.

Si aliquid sibi impertiri vellet de asino capto, pollicetur vulpes leoni eò se deducturam asinū, vbi facile comprehendi à leone posset. Promittit leo liberaliter. Ibi dum per inuia loca siluarum asinū circumducit vulpes specie societatis, etiā ipsa adhaerescit & impeditur. Tum leo vulpeculā prius deuorat,

deuorat, atq; ita a fino ociosè solus potitur.

Dici potest fabula in sociorum fraudulentam infidelitatem, cuius hic esse finis soleat, ipsorum possi proditos socios interitus.

DE APICVLA DESERTRICE
GENERIS SVI.

Animaduertens apicula fucos ociosos in copia non minore vitam degere, quàm laboriosissimum genus apicularum, eos imitari & non magis opus facere velle decreuit. Sed cum quasi pensum cotidianum ab illa exigeretur, desertis suis ad fucos transijt, interq; illorum furta suppetente etiam vbiq; pabulo, æstatem satis, vt rebatur, commode transegit. Sub hyemis autem frigora fuci in suas lamulas disperguntur, & se quasi sepeliunt intra eavernas. Apicula igitur reuolare ad genus suum & aluearia repetere, verum omnibus foraminibus & ostiolis alueorum obturatis celeriter gelu hyemis & imbribus oppressa interijt.

Fabula contra fugam laborum & desidiam, deq; proditoribus narrari poterit.

DE AVICVLA ET MESSE.

Messis instabat tempus, erantq; auiculæ cuiusdam pulli adhuc implumes in illa depositi. Hæc verò quoties ad pastum auolabat, diligenter meminisse iubebat pullos, omnium quæ interea dici audissent aut fieri vidissent, sibi reuersæ vt narrare possent. Dicunt illi quodam tempore, affuisse cum filio adolescente adulto & valente, dominum agri, & constituisse frumenta postero die amicis corrogatis, demensurum se esse. Hoc nuntio

auicula nequaquam territa, postridiè, vt consue-
 nerat, ad victum quærendum auolat. Cùm rediisset,
 audit constituisse dominum agri sese ad messem
 consanguineorum & propinquorum opera
 vsurum esse. Negat illa in hoc etiam periculū in-
 esse. Postea verò quàm cognouisset, dixisse domi-
 num seipsum cum filio & seruis affuturum, vt fru-
 menta demeteret, ibi demum non dubitans, quin
 suam rem dominus curaturus esset, de segete mi-
 grat, & pullos suos asportat in alium locum tu-
 tiorē.

*Fabula vetat alienis homines fretos esse in admini-
 stratione rerum suarum.*

PEDICVLI ET PVLICES.

Græci molestum & fœdum animal *Φθίγας* vo-
 cant, Latini pedes dixere & pediculos. Hi sangui-
 ne aluntur quem de alijs animantibus exsugunt.
 Sed & pulices simili pabulo vtuntur, & morfu
 suo infesti sunt cuti animantum. Ab his inuitati
 quodam tempore pediculi, ad pinguis & adiposi
 corporis dormientis hominis opiparas epulas, cū
 auidius appeterent illum succum perdulcem, ex-
 citatur sopitus & lumina poscit, quibus illatis ce-
 leriter pediculi reptantes capti necantur, puli-
 ces saltu frustrantes captatores salutem sibi pepe-
 rerunt.

*Fabula docet, inertia & desidia, facultates, existima-
 tionem, ipsam vitam maximè ledi.*

DE MVSCA ET PLAVSTRO FRUMENTI.

Cum pulicis demessa frumēta, magno in aesta-
 tis

ris calore perpuluerulentam viam plauastro im-
posita deueheret ex aruo, confedit musca in ma-
nipulo, atque ita vnâ ad horreum peruenit.
Cum plaustrum iam staret & equi ac vector pul-
uere respersi acquieuisent, prouolat musca, ac
Deum immortalem, inquit, quâram ego pulueris
vim commouit?

*Fabula narratur gloriose stultitiæ, & ijs qui, vt ille
Thraso, alieno labore partam laudem in se transferunt,
& apposuissimè istis scriptorculis maiorum & docto-
rum virorum reprehensoribus, qui sibi aliquid in illis
certaminibus adherentes ad excellentiam illorum, vi-
deri solent.*

TALPÆ DEPRECATIO.

Cum talpa protulisset in cœtu bestiarum tabel-
lam in qua regiones & loca Græciæ se describenda
curasse diceret, petijt vt illum laborē, quem Rei-
publicæ causa suscepisset, boni consulere gratoq;
accipere animo vellent vniuersæ, & sibi ignoscere,
sicubi fortè in describendo erratum esset, nam si-
bi aciem oculorum, vt scirent, deesse. Tum vulpes
dixisse fertur, fodere illum debuisse, ita non fui-
se excusatione opus.

Alij sic narrant fabulam:

Teredines aliquando ægrotanti vulpi medici-
nam ostendisse herbulas & folia arborum, sed hâc
respuisse vulpem, quod diceret à fabris se medica-
menta non accipere.

*Fabula coërcet audaciam imperitam, & refutatur
alicubi ille grauitè, cui dicitur:*

τίκτωρ γὰρ ὡς ἐπραπίς & ξυλδργικά.

FLOSCVLVS ET QVERCVS.

Floſculus enatus non procul ab arduis quercubus ſuperbè contemnebatur, vt cùm breui tempore durans naturaliter, tum expoſitus iniurijs carpentium puelliarum quoq; . Atque vna illi verbis inſultans: *Quam veniſtè, inquit, piſtus es, & factus belle ad ventorum ludibria & delicias hominum, ſi fortè à beſtijs tibi parcat, vel comedendo vel conculcando.* Tacuit floſculus, neque cum tanta arboris mole ſibi putauit litigandum. Paulò poſt adueniunt fabri cùm ſecuribus, & maximè quamque proceram quercum cedere incipiunt. Quibus ad iſtum ingemiſcentibus, quò maius eſſet robur ipſarum & longius quaſi axum, hoc dolere grauius eas interitu floſculus intellexit, & boni conſuluit ſuæ tenuitatis & breuis vitæ conditionem.

*Fabula docet id, quod ait Horatius:
Immortalia ne ſperes, monet annus, & alium
Quæ rapit hora diem.*

Et iubet vnumquenque ſibi diuinitus vitæ ſpacio & bonis conceſſis contentum eſſe debere. Præclare autem, vt omnia, ſcripſit Cicero hoc quoq; . Nihil eſſe longum, in quo ſit aliquod vltimum.

CANVM CONATVS EBIBENDI MARE.

Cernebant canes, qui fortè iu littore conſtiterant, pelles natate in mari, harum cupidi, cum eas fluctibus diſijci viderent, aggreſſi fuerunt potando exhaurire mare, vt ad pelles aditus pateret. Sed prius accidit, vt nimio potu extinguerentur, quam

quam ad pelles peruenire possent.

Notat fabula infelices conatus copiae parandae. Et dici potest in auaros.

CVCVLVS ET AVICVLÆ.

Interrogabat cuculus paruulas aues, quare consuetudinis suae usum refugerent? Quia enim, inquit illae, generis accipitrum es.

Fabula docet, naturam & genus in omnibus actionibus atque consilijs spectari solere, & saepe praclaris conatibus suspicionem conditionis nocere.

DRACONIS CAPVT
ET CAUDA.

Contentione exorta inter caput Draconis & caudam, peruicit tandem cauda, ut sibi vicissim antecedendi & ducendi dignitas tribueretur, ne perpetuo sequi cogeretur. Hunc principatum illa adempta cum male accipi ipsa quae progredere sine ratione, tum caput affligere & lacerare, quod contra suam naturam attraheretur à caecis & surdis partibus.

Fabula dicitur in eos, qui in Republica, aut quocunque loco, cum principes esse deberent, ipsi populares esse malunt, & vulgus non ducere, sed gratificando huic obsequi.

AQVILA ET REGVLVS.

De celeritate volandi contendisse ferunt aliquando aquilam & regulum. Est autem paruulus ales omnium maximè is, qui hoc nomine appellatur. Atque certamine instituto, clanculum supra dorsum aquilae confedit regulus, & sic deportatus ad praefinitum locum subito inde euolauit, & ita anteuertit.

De eis narratur fabula, qui imbecilliores & futiliores perficiunt calliditate & astutia, ut præferantur poetis atque excellentioribus.

PASTOR ET COCVS.

Faciebant vnâ iter commune pastor & cocus. Fortè accidit ut ouicula pinguis aberrâs à suo grege eis veniret in conspectum. Ad hanc prorumpit ambo. Atq; illis temporibus bestia sermone utebantur humano. Interrogat agnus qui nam sit vterq; eorum? qui manus admouere sibi seq; abducere veint. Cognita autem rei veritate, & quas profiterentur artes, confert se ad pastorem, eique se tradit. Cocus autem dicit, Esse eum carnificem quendam trucidantem greges, cum pastore verò præclare congruere mores suos.

Monet fabula, ut malorum consuetudinem & usum fugiamus, & persequamur bonorum. Quorum altero perniciës, altero salus continetur.

GALLVS GALLINACEVS
ET EQVI.

Fortè deuolarat in stabulum equorum gallus gallinaceus, vbi ille ingredi, & tandè apud equos in stramentis confidere coepit. Dum equi aut hæc, ut solent, interdum calcibus conuerrunt, & ferocia exsultant, gallus respectans & sibi metuens, ne conculcetur: ô socij, inquit, videndum ac cauendû est, ne nos mutuo premendo lædamus.

Fabula monet, tales cætus non esse frequentandos, vbi fortuna quoque offensa aliquis everti & comminui possit. Dici etiam hæc fabula possit in imbecilles atq; paruos oratione confidente & gloriosa magnis ac robustis sese conferentibus.

C O R.

CORNIX ET CORVVS.

Cornix fuisse perhibetur ob sedulitatem cara famula Mineruæ, & coruus Apollinis minister. Sed curiositate & loquacitate & obsequio præposito & ingratis iudicijs offensorum beneuolentia dominorum excidisse, & odium incurrisse accepimus vtrunque.

Præcipitur hac narratiuncula attentio & cura inseruiendi voluntati alienæ, & coërcetur improuida incitatio animi atque leuitas nuntiorum & delationum.

SIMIUS ET CIRCULATOR.

Circulator quidam splendidè vestitus & specie ornamentorum illustris, à Simio conspectus fortè fuit, & fatigatus precibus, vt sibi quoq; vestem similem, atq; ornatum tribueret. Hoc ille se facturum promisit, sed necesse est, inquit, vt catenula quoque deuinciri te sinas. Atq; ita prolatam vestem valdè pulchram auroq; distinctam, iussit accipere hanc & induere Simium, sed ea, qua dictum esset, conditione. Simus splendore vestis inescatus, & mirificè cupidus illius amictus, simul etiam catenulam iniici sibi patitur, qua alligatus, seruitutem postea, in vinculis perpeti coactus est.

Fabula asserit, cupiditates dementiū esse perniciosas.

CICONIA, MVS, RANA.

Ciconia esuriens, cūm ranæ subter aquas occultarentur, & mures in cauernis terræ latitarent, cū quid se faceret non haberet, hanc artem excogitauit, ad eliciendum genus quod caperet vtrunque. Accedit ad paludē, & ibi demersis ranis narrat: Audisse se mures ita loquentes de ranis,

vt superbissimè eas contemnerent, adeò vt prædicarent abvno suorum facile tres posse in congressu superari. Ibi ranæ commotæ ira, dicere se esse paratos ad prælium committendum cum muribus, in aperta campi planicie. Hoc perfectò, auolat ciconia ad musculorum cauernas. Ante quas cum constitisset, compellatis illis intus auscultantibus, permulta narrat de ranarum elatione & superbia. Quodque esset dictum: Vnam ranam in certamine cum muribus, totas facile decurias illorū posse vincere, atq; ipsis has iam bellum adeò denuntiare. Tum mures non minus iritati & ipsi, quòd provocarentur, nequaquam se conflictum defugere dixerunt. Quæritur igitur campus magnus, aquabilis, apertus ad conflictum, & eo inuento tam à palude, quàm musculorum cauernis remotiore, in hoc iam ambæ acies instructæ procedebāt. Atq; ita illæ copiæ militares egregiæ, vtræq; à Ciconia interficiebantur, suppetebatq; cibi plurimum ciconiæ. Ranæ autem & mures falsis calumniarū nuntijs inter se commissi, & facti hostes, omniq; consilio & spe salutis destituti, funditus, vt dicitur, ibi interimebantur atq; conficiebantur.

*Non est habenda hostibus fides, & coercenda ira.
Numquam enim ira prouidet.*

DVO ERINACEI FRATRES.

Erinaceus quidam in terra relictis filijs duobus acerbo piro suffocatus decesserat. At filij orbi patre communiter habitare paternum specum statuerunt. Diuiserunt tamen in illo tanquam bona paterna, quasi ædes quasdam, vt vnus incoletet partes

partes vergentes ad ortum solis, alter spectantes occasum, cum specus foramina haberet vtrinque veluti ostia, & in medio septum quoddam interpositum esset. Cum aliquantisper vitam hoc modo produxissent, alter ex his proserpens longius atque confidentius, nescio quo casu interiit. Quo cognito alter luctu ille quidem vt decuit, affectus fuit, septum tamē illud in specu medium interiectum remouit statim, tanquam dominus iam specus totius. Cumq; aliquando accessisset vulpecula lamentari hic & grauiter conqueri deplorando solitudinem suam & ereptum fraternæ consuetudinis usum. Vulpecula autem consolans ipsum: Bonum animum habe, inquit, de cætero enim solus tu deinde frueris paternis bonis. Quamuis enim non possit non esse triste tibi desiderium fratris mortui, medebitur tamē certè malo paternarum facultatum tutum incrementum, præsertim cum mortui in hanc vitam non reuocentur lacrymis. His auditis erinaceus, quid enim faceret aliud? vitam postea egit hilariorem & lætiores.

Narratur fabula simulantibus luctum in morte cognatorum, vnde ipsis aliquid diuitiarum accedit.

V 5

ERAS-

ERASMI FABVLAE.

DE VVLPESCVLA ET PARDALÆ.

Cum aliquando pardalis vulpem præ se cõtemneret, quòd ipsa pellem haberet omnigenis colorum maculis variegatam: Respondit vulpes, Sibi id decoris in animo esse quod illi esset in cutè.

Neque verò paulò satius est ingenio præditum esse vafro, quàm cute versicolore.

DE VVLPES ET FELE.

Cùm aliquando vulpes in colloquio, quod illi erat cū fele, iactaret sibi varias esse technas, adeò vt vel perã haberet dolis refertã. Feles aut̃ responderet, sibi vnicam dũtaxat artem esse, cui fideret, si quid esset discriminis. Inter confabulãdum repente canum accurrentium tumultus auditur. Ibi feles in arborem altissimam subsiliit, cùm vulpes interim à canum agmine cinctã, capitur.

Innuit fabula, præstabilius esse nonnunquam vnicũ consilium, modò id sit verum & efficax, quàm plures dolos consiliaque friuola.

DE REGE ET SIMIIS.

Rex quidem Ægyptius aliquot simias instituit, vt saltandi rationem perdiscerent. Vt enim nullũ animal ad figurã hominis propius accedit: ita nec aliud actus humanos, aut melius, aut libētius imitatur. Artem itaq; saltandi protinus edoctã, saltare cœperunt, insignibus indutã purpuris, ac personatã. Multoq; iam tempore maiorem in modum placebat spectaculum, donec è spectatoribus faceret quispiam, nuces, quas clanculum in sinu gesta-

gestabat, in medium abiicit. Isti statim simia, simul atq; nuces vidissent, oblita chorea, id esse cœperunt, quod antea fuerant, ac repente è saltatricibus in simias redierunt: contritisq; personis, dilaceratis vestibus, pro nucibus inter se depugnabant, non sine maximo spectatorum risu.

Admonet hæc fabula, fortunæ ornamenta non mutare hominis ingenium.

DE ASINO ET VIATORIBVS.

Duo quidam cùm in desertis asinum quempiã fortè fortuna nacti essent, contendere inter se cœperunt, vter eorum, vti suum, domum abduceret. Nam vtrinq; pariter à fortuna videbatur obiectus. Hac interim de re illis inuicem altercantibus, asinus sese subduxit, ac neuter eo potitus est.

Quidam à presentibus cōmodis, quibus ob inscitiam vti nesciunt, excidunt.

DE PISCATORIBVS.

Piscatores aliquot iacto reti testudines eduxerunt, eas cùm essent inter sese partiti, neq; sufficerent omnibus comedendis, Mercurium fortè accedentem inuitarunt ad conuiuium. At is intelligens se neutiquã humanitatis gratia vocari, sed vt eos fastidito cibo subleuaret, recusauit, iussitq; vt ipsa suas testudines ederent quas cepissent.

Non nulli posteaquam inconsultè quippiam adorti sunt, aliorum implorant auxilium, quos suo negotio admisceant.

DE ASINO.

Apud Cumanos asinus quispiam pertusus se
vita-

uitutem, abrupto loro in siluam aufugerat: illic fortè repertum leonis exuuium, corpori applicabat suo, atque ita pro leone sese gerebat, homines pariter ac feras voce caudaq; territans: nam Cumanus leonem ignorant, Ad hunc igitur modum regnabat aliquandiu personatus hic asinus, pleone immani habitus ac formidatus, donec hospes quispiam Cumas profectus, qui sæpenumerò viderat & leonem & asinum, atq; ob id non erat difficile dignoscere aurium prominentium indicio, neq; non alijs quibusdam coniecturis asinum esse deprehendit, ac probè fustigatum reduxit, dominoque agnoscenti reddidit. Interim autem risum non mediocrem concitabat omnibus Cumanis asinus iam agnitus, quos dudum creditus leo, metu prope modum exanimauerat.

Haud facile regimus vitia, quæ à puero nobiscum adoleuerunt.

DE SCARABEO ET AQVILA.

Scarabeus aliquando spretus ab aquila coepit de vindicta quoquo pacto sumenda cogitare. Peruestigauit vbinam aquila nidum collocasset: arrepsit scarabeus, & oua simili dolo deiecit. Aquila, cum sæpius domicilium commutasset, neq; quidquam proficeret, Iouem patronum adiit, exponit calamitatem suam: is iubet, vt suo in gremio ponat oua, vel istuc in tuto futura. Et huc per vestis lacinias finusq; prorepfit pertinax scarabeus, haudquaquam sentiente Ioue. Deinde vbi oua commoueri Iupiter, neque satis animaduertit vnde, territus rei noxitate, excusso gremio, in terram deiecit.

Me-

*Monet hæc fabula, neminem quantumvis pusillum
contemnendum esse.*

DE SIMIIS ET PARDALE.

In Marusia simiarum ingens copia. Pardalis autem animal est natura simijs infestissimum: quas tamen viribus assequi non potest, nimirum illis in summas arbores subuolantibus. His itaque dolis in eas utitur: sternit se supinam sub ramis, ac porrectis cruribus emori fingit sese. Gaudent eo spectaculo simiæ confidentes in arbore: deinde ubi iã mortuam arbitrantur, vnã aliquam emittunt exploraturam, num verè mortuus sit hostis. Illa cautim ac pedetenim accedens, ubi nullum vitæ videt argumentum, pardale nimirum modis omnibus cadauer imitante, demum audet etiam conscendere. Quod simul ac reliquæ simiæ conspexerint, iam deposito omni metu descendunt, & pardalim omnia ferentem circumfultant. Postremò conculcant insultantes ludibrii causa: donec sentiens illas tam saltãdo defatigatas, derepente reuiuiscens, aliam dentibus, aliam vnguibus corripit, dilaniat, ac deuorat.

Hostem simulantem vires deficere, summoperè fugiendum esse.


DE


DE SATYRO ET RVSTICO
 ANIANI FABVLA, ERASMO
 quoque interprete.


Satyrus quidam cum vehementer algeret, hyberno gelu supra modum sæuiente, à rustico quodam inductus est in hospitium. Admiratus autem cur homo inflaret in manus ori admotas, rogauit cur ita faceret. Is re. pondet: vt frigiditas manus halitus tepore calefaceret. Deinde vbi exstructo foco, apposita mensa, in pulstem feruidam rursum inflaret, magis etiã admiratus, sciscitatus est, quid hoc sibi vellet: vti pulstem, inquit ille, nimium feruentem halitu refrigerem. Tum satyrus surgens à mensa: quid ego audio, inquit, tun' eodem ex ore pariter & calidum & frigidum efflas? Valebis: neque enim mihi ratio est cum huiusmodi homine commune habere hospitium.


Notantur bilingues, qui eundem modò laudant, modò vituperant.

F I N I S.









Handwritten text in a cursive script, likely a library stamp or inventory record, oriented diagonally across the page. The text is difficult to decipher due to fading and bleed-through from the reverse side of the page.



40 $\frac{6}{\quad}$
h. 12

X 1998064



1728

11

1178




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Æ S O P I
P H R Y G I S , E T
A L I O R V M

F A B V L Æ,
*Iconibus illustratæ & labinius
quàm antehac interpretatæ.*



C O L O N I Æ,
Apud hæredes Arnoldi
Birckmanni,
ANNO M. D. LXXIII.